



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs III. De identitate, & distinctione formali entis vt sic.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

realis definitionem Scotiis, quam nobis, magis necessaria, sic habet: aliqua res diuinitus seipsam realiter producere potest, & forte reducta est ad actum hanc potentia in humanitate Christi Eucharistiam instituente, ac seipsam sub speciebus panis, & vini reproducente: perperam ergo per relationem producentis, & producti realiter distinctio realis explicatur. Respondeo: nulla res seipsam primario producere potest, quidquid sit, an secundario se producere queat: nobis autem distinctionem realem in aliorum gratiam utcumque deficientibus, uti supra, sermo fuit de primaria productione, & aliam non supponente, secus vero de secundaria, & quae aliam supponat.

2.4 Aliter identitas, & distinctio explicari possunt à posteriori in nostris etiam principiis, ut illa sit eorum quae supposito inseparabilia sunt, hanc vero illorum, quae supposito separari possunt, saltem diuinitus. Oppones tamen primò: essentia diuina, & Paternitas supposito separabiles sunt, cum altera in Filio, non altera reperiatur: & tamen realiter indistinctae sunt. Respondeo, de supposito vniuersaliter sumpto nos fieri ita, ut quae distinctae sunt, in nullo supposito comuni esse possint, quae vero eadem sunt in aliquo supposito quaecumque sit simul esse debeant: essentia autem, & Paternitas saltem aliquod suppositum commune, videlicet Patrem essentialiter, deponunt. Oppones secundò: possibiles sunt aliqua natura creata, & subsistentia realiter distinctae, quae tamen sint essentialiter illigatae inuicem: sed ea natura, & subsistentia supposito inseparabiles forent. Respondeo: possibilis est ea natura creata, & subsistentia distincta ei essentialiter affixa quoad speciem: at non est possibilis ea affixio quoad indiuiduum, quia non est, unde proveniat, nisi à sola identitate: nobis autem sermo est de individuali connectione, non specifica.

TRACTATUS III.

De identitate, & distinctione formali entis ut sic.

CAPVT I.

Distinctio formalis duobus explicata modis, & qui eam inter gradus Metaphysicos admittant, qui renuant.

1 DE identitate, & distinctione formali; agendum nobis est, non promiscue & vnà (sicut paulò supra de identitate, ac distinctione reali) sed scotim: ac prius quidem de distinctione formali velut magis nota, & mox de identitate eiusdem rationis: ita enim res postulat. Distinctio igitur formalis primò explicari solet, ita ut perinde sit atque ea, quae est inter conceptus obiectiuos separabiles, sin minus conuertibiliter, at certe irreciprocè, & non mutuo: v. g. inter materiam, & vnionem cum anima rationali in se suscepta: aut etiam animalitatem, & rationalitatem, vel quosuis alios gradus inaequales: siquidem ita comparatum est, ut materia possit esse etiam humanitas sine vnione supradicta, contra vero nequeat hanc esse etiam diuinitus sine materia; animalitas etiam licet semel identificata, & coniuncta rationalitati, nec in tempore, nec in aeternitate possit esse sine illa; at potuit hanc suppositio iuxta sententiam, quam proponimus non dari, & animalitas inueniri sine rationalitate, ac non eis, sed hincibilitati,

v. g. in equo copulari: quo pacto volitio libera Dei, Petrum, verbi gratia, creandi potuit simpliciter in eo non esse, facta tamen suppositione, quod per eam Deus semel velit, nec in tempore, nec in aeternitate potest ei abesse.

2 Porro autem distinctio formalis hoc modo sumpta vocatur ita; non, quod sit formaliter ab intellectu, & non nisi fundamentaliter ex parte rei ipsius, sed quod sit actualis reuera, & ante omnem operationem intellectus: actus enim cum forma in idem recidit: merito igitur distinctio ex parte rei actualis dici consuevit eo ipso, formalis. Quamquam autem omnis distinctio realis, & vel ea, quae versatur inter rem, & rem mutuo separabiles, v. g. hominem, & equum, possit eodem iure, eademque de causa vocari formalis; siquidem quaecumque est actualis, id est actu & non virtute, aut fundamentaliter tantum in rebus: ceterum nomen rationis supremæ, & latissime fuse, perspicuitatis gratia, attributum est soli rationi imperfectæ, videlicet distinctioni reali minori, non vero reali maximæ, denominatione, & appellatione, ut sæpè viuunt, debiliorem sequente partem. Hinc etiam est, ut huiusmodi distinctio vocetur, absolute distinctio ex natura rei, tamen si vocabulum hoc, quae late patet, omnem distinctionem, quae non sit solius rationis comprehendat. Appellari quoque solet distinctio ista formalis ex natura rei; necnon media inter distinctionem realem, siue absolutam, ac summam atque inter distinctionem solius rationis

3 Secundò, explicari assolet distinctio formalis, ut sit ea, quae interuenit inter conceptus omnino inseparabiles, & quorum neuter, aut simpliciter, aut facta aliqua suppositione possit esse absque alio: haud enim iuxta posteriorem hanc sententiam, & modum explicandæ distinctionis formalis etiam diuinitus potuit animalitas, quae est in homine esse sine illo, aut sine rationalitate eius propria, siue in eodem supposito, ut perspicuum est, siue in diuerso: nihilominus hac distinctio est à parte rei ut aiunt, actualis, & vera, quoniam animalitas, v. g. (par autem est ratio quorumuis aliorum graduum similium) ante omnem operationem intellectus, iuxta huius opinionis auctores, actu excludit à se, suoque conceptu rationalitatem; sic, ut reuera non sit omnino, & intimè illa: ac rationalitas similiter exterminat, abigitque à se rationalitatem; ut ambæ sint mutuo inseparabiles. Porro autem distinctio ista sic explicata vocari solet, tum formalis, tum ex natura rei, tum etiam formalis ex natura rei, ob causam paulò supra memoratam, atque (ut Patris Suarez disp. 7. metaph. sect. 1. num. 15. verbis utar) *Applicando illi tanquam imperfectiori generale nomen, quod vsitatum est.* Vnus etiam obtinuit, ut vocetur media, non quidem inter realem absolutam, & distinctionem solius rationis sic, ut modalem, aut quasi modalem cohibeat, sed potius inter realem, quaecumque sit, & siue absoluta, siue modalis, & distinctionem solius rationis.

4 His suppositis distinctionem formalem, & ex natura rei, siue in priori, siue certe in posteriori sensu vsurpatam inter gradus superiores, & inferiores, videlicet inter gradum genericum, & differentialem, & vtrumque, ac indiuidualem, cuiusmodi sunt, v. g. animalitas, rationalitas, Petreitas, admittunt Scotus 1. met. q. 6. & 7. met. q. 16. & in 1. dist. 3. q. 6. & dist. 2. q. 7. & dist. 5. q. 1. & in 2. dist. 3. q. 1. & cum eo Antonius Andreas, Lichetus, Baillois, Rada, Trombeta, Ioan. Canonicus, Tartareus, Bonnetus, Hugo Cauellus, Brisseño, & reliqui ferme eius sectatores. Item, ex nostris Fonseca lib. 5. metaph. cap. 7. q. 13. sect. 3. Gregorius de Valentia, & quidam alij.

Quorum

Quorum Authorum aliqui volunt, distinctionem hanc formalem graduum esse, qualem primo loco exposuimus, & in eorum reali separabilitate inniti. Ita præter alios Bonnerus in 1. dist. 8. q. 1. & ex nostris Gregorius de Valencia tom. 1. disp. 1. q. 3. puncto 5. principio, inquit, sciendum est, rem aliquam eatenus compositam dici ex genere, & differentia, quatenus gradus genericus, & differentialis, ex quibus constat, distinguuntur, saltem ex natura rei; ita scilicet, ut gradus genericus secundum rationem suam possit inueniri separatus à differentiali illo in aliqua alia, & coniunctus cum aliquo alio gradu differentiali, licet non in re eadem. Ut animalitas, & rationalitas in homine eatenus ex natura rei distinguuntur, quia potest animalitas in aliqua alia re separari à rationalitate, & coniungi cum aliquo alio gradu differentiali, ut puta in equo, licet non in homine. Ac propter eam gradus genericus, & differentialis distinctionem dici potest homo compositus ex utroque gradu. Hactenus ille.

6 Alij verò malunt, distinctionem formalem graduum esse qualem explicuimus secundo loco, & non tam esse modalem, aut quasi modalem, quam ea minorem, & cum inseparabilitate graduum prorsus coniunctam. Ita ipsum censuisse Scotum tradit Ioannes à sancto Thoma secunda parte logic. questione tertia, articulo secundo, his verbis: Respondeo hanc opinionem Scoti longè distare à fictione Platonis, cum expresse Scotus affirmet gradus istos superiores, & inferiores ita distinguere secundum suas rationes formales, quod tamen non possit una separatim existere ab alia, nec de potentia absoluta, sed subtilitas Scoti in eo consistit, quod ex natura rei, & ante omnem operationem intellectus formalis, quæ sumitur pro conceptu gradus superioris, non includit ex suo essentiali conceptu formalitatem, quæ deseruit pro gradu inferiori: quod verò separatim possit ab illa existere, nec somniauit Scotus. Hæc ille.

7 Contra verò distinctionem omnem formalem, siue ex natura rei graduum negant Diuus Thomas in primum distinctione vigesima quinta, questione prima, articulo primo, & opusculo. de natura generis capite quinto, & de veritate questione sexta, articulo secundo, & opusculo. quadragesimo secundo, capite nono, & secundo, contra gent. capite 95. & prima parte questione quinquagesima, articulo secundo, & quarto, atque cum eo Caietanus, Capreolus, Ferrar, ac ceteri ferme Thomistæ. Item extra scholam Thomisticam Durandus, Henricus, Bachonius, Alensis, Venerus, Auerfa, & alij. Necnon ex nostris Suarez, Vasquez, Hurtadus, Arriaga, Conimbricenses, Baltasar Tellez, & ceteri ferme recentiores.

C A P V T II.

Distinctio formalis graduum priori modo explicata reicitur.

8 Nimirum fundata in separabilitate graduum, tamen non reciproca, nec mutua: eiusmodi enim separabilitas non mutua, siue, quod perinde est, indifferentia gradus superioris ad hunc, & illum inferiorem, ac determinatio inferioris ad hunc superiorem planè repugnat: ergo &, quæ inde colligitur, distinctio formalis graduum inæqualium: Consequentia est certo certior: suadet antecedens: fieri nequit, ut animalitas hominis, v. g. possit di-

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. II.

stingui à rationalitate, & absolute identificari cum hincibilitate, quin è conuerso, rationalitas possit distinguui ab animalitate hominis, & cum aliquo alio identificari: ergo, si animalitas est indifferens ad hanc, & illam differentiam, differentia etiam rationalitatis indifferens erit ad hanc, & illam animalitatem, atque adeo indifferentia illa gradus superioris, & determinatio inferioris repugnat: antecedens huius posterioris entimematis haud est minus perspicuum, quam illius prioris: Siquidem distinguui animalitatem hominis à rationalitate, est è diuerso rationalitatem hominis distinguui ab eius animalitate, cum distinctio sit relatio mutua, & reciproca, non minùs, quàm similitudo, æqualitas, dissimilitudo, & inæqualitas: ergo etiam posse distinguui animalitatem hominis ab eius rationalitate, & identificari cum quavis alia differentia, erit è conuerso posse distinguui rationalitatem hominis, ab eius animalitate, & cum alia quavis identificari.

9 Confirmatur primò: quia si animalitas ea indifferentia simpliciter tali polleret, etiam ex suppositione, & in tempore animalitas hominis, cum hincibilitate vniri & identificari, & à rationalitate auelli, ac separari posset, ac postquam humana esset, belluina esse sustineret, quare inter duas illas formalitates, animalitatem scilicet & rationalitatem distinctio summa realis interesset, consequens est absurdum, & contra omnes ferme, si Tandunum, & Burleum excipias. Confirmatur secundo: quia ij gradus, non vniantur per seipsos, cum ambo reperiiri possint, absque eo, quod vniantur, aut identificentur, nec etiam per vnionem distinctam quia omnis vnio distincta, non tam identificat, quàm componit, aliàs modus superadditus partibus continui, eas verè identificaret, quod etiam ipsi Scotistæ inficiantur aduersus nonnullos Aristotelicos. Confirmatur tertio: licet inter prædicata existentialia separabilitas non mutua esse possit, vtrumque sine alio queat existere, non è conuerso; tamen inter prædicata essentialia separabilitas non mutua esse nequit, nec vnum ab alio distinguui, & non è conuerso potest, eo, quod distinctio sit relatio mutua, ac retrorsum valens: ergo indifferentia illa, & determinatio graduum inæqualium, ac proinde eorum distinctio ex natura rei repugnat.

10 Vltèrius impugnatur eiusmodi distinctio ex natura rei inter gradus superiores, & inferiores. Nequit enim non esse summa, & realis distinctio, quæ tamen inter gradus Scotistæ non admittunt. Sequela probatur: quoniam illa distinctio, vel non est realis, & summa, quia inter rem, & rem non intercedit: hæc ratio est nulla: siquid enim esset in ea momenti, animalitas humana, & animalitas leonina realiter non distinguerentur, cum non duæ res, sed duæ realitates sint. Aut ea distinctio non est realis, & summa, quoniam illæ realitates inconuertibiliter tantum sunt separabiles, & altera ad alteram est determinata, & non è conuerso: & hæc ratio, præterquamquod falsum assumit, adhuc assumptum permisso, nihil conuincit: quia Deus, & creatura inconuertibiliter sunt separabiles, & tamen realiter distinguuntur, & summa distinctione sunt extra se inuicem. Aut non est realis, & summa ea distinctio ex natura rei, quia eius extrema in eodem supposito sunt, & ita materia, & forma minimè distinguuntur realiter, quod tamen falsum esse, quis ambigat: Aut non est realis, ac summa, quoniam extrema eius sunt inseparabilia supposito: & hoc falsum est, quia humanitas Petri ab hoc supposito, Petro, v. g. separari diuinitus, & in Paulo collocari potuit: haud ergo humanitas v. g. & Petreitas sunt supposito inseparabiles, aut

demum non est summa, & realis, quoniam extrema eius entitatem, & realitatem formaliter non important, eo nimirum, quod omnes gradus inferiores ab vniuersalissimo gradu entis entitatem, & realitatem emendicent: & hac ratio etiam est inutilis: quia sic animalitas Petri, & Bucephali minime distinguerentur realiter, propterea quod realitatem, & entitatem in hac sententia formaliter non includant.

11 Confirmatur primò. Distinctio non reperta inter rem, & rem summa esse potest; quod igitur distinctio ex natura rei, priori explicata modo, non sit inter rem, & rem, sed inter formalitatem, & formalitatem non mutuo separabiles, non obicit, quominus summa sit, sicut plerique Scotistæ obesse existimant: consequentia patet: suadetur antecedens: quia inter rem, & carentiam rei summa distinctio reperitur, quæ enim maior distantia, aut distinctio, quàm quæ videtur inter esse, & non esse. Sed carentia rei nequaquam est res, nec ex consequenti distinctio inter rem & carentiam rei est distinctio inter rem & rem. Deinde, quia oppositio contradictoria, & summa, modò inter rem, & rem, modò inter rem, & carentiam rei interuenit, si nimirum fuerit virtualis inter illas, sin autem formalis, inter has: similiter ergò distinctio summa inter rem, & rem necessariò non intercedit. Demum, quia quantitas distinctionis, & identitatis quantitate extremorum metiendi non est, sicut quantitas similitudinis nequaquam fortitur velut mensuram sui quantitatem extremorum, aliàs Petrus, & Paulus minùs similes forent, quàm Deus, & Angelus, cum illi minoris quantitatis, & perfectionis sint, quàm hi: igitur distinctio summa inter formalitatem & formalitatem eiusdem rei interesse potest, esto amba à perfectione, & entitate rei deficient.

12 Confirmatur secundo: quia, si irreciproca separabilitas vnius gradus metaphysici ab alio eorum distinctionem quandam reali minorem efficeret, aut argueret, ut censent Scotistæ, quibuscum disputamus, sanè præter distinctionem realem, & formalem, siue modalem plures aliæ ex parte rei darentur; tot nimirum, quot gradus separabilitatis multiplicari possunt: quapropter uti realitas, & realitas diuersa, & minori distinctione distinguuntur inuicem, ac res, & res ob diuersam separabilitatem, ita alia distinctio inter separabilia simpliciter, & alia inter separabilia tantum ex suppositione, item alia inter separabilia naturaliter, & alia inter solùm supernaturaliter separabilia, necnon alia inter separabilia quoad speciem, & alia inter separabilia quoad indiuiduum reperiri deberet: quæquis absurda, & paradoxa non videat?

13 His confirmationibus, & cui sunt adiectæ argumento conuinci potest, distinctionem modalem, quamuis admitti debeat, haud tamen admittendam esse, qualem multi putant, id est minorem distinctione reali absoluta, quæ versatur inter res mutuo separabiles. Qui autem de ea sic opinantur, sunt in primis Scotistæ omnes, deinde, ut alios prætermittam, ex nostris Suarez disputatione septima, metaphysicæ, sectione prima, Fonseca libro quinto metaphysicæ, capite sexto, questione sexta, Albertinus in prædicamento ad aliquid questione duodecima, numero octauo, atque etiam Vasquez prima parte, disputatione centesima decima sexta, capite quinto, numero

vigesimoquinto, quamuis enim hoc loci verborum vñ à Scotistis dissideat, contendatque, distinctionem modalem esse appellandam distinctionem realem, & præter hanc, & solius rationis omnem aliam esse commentitiam; cæterum fateretur in ipsa distinctione reali latitudinem, siue inæqualitatem esse. Horum ergo auctorum sententia difficultatibus nuper positis obnoxia est, ut dictum.

14 Etenim distinctio inter rem, & modum haud potest esse media inter realem absolutam, & solius rationis, & hac maior, atque illa minor, quia non est inter rem, & rem: haud etiam, quia inter extrema non separabilia inuicem, & è conuerso ut ex argumento, & confirmationibus liquet. Præter has autem nulla superest ratio, ob quam ea distinctio sit media: & siqua est, ea ubi suprà satis reiecta manet.

15 Alio quoque argumento confutari potest distinctio illa media inter rem, & modum, nam ex ea fieret, in rebus creatis admittendum esse quid simile mysterio Triados: siquidem vnio animæ rationalis, verbi gratia, cum vna parte corporis, & eius alia vnio cum alia eiusdem corporis parte habent in xtra aduersarios veram quandam identitatem realem cum anima, quam vniunt: & quidem satis consequenter ad sua principia disputant ita, quibuscum lis est: namque vniones illæ modales haud distinguuntur summe ab anima, quam corporis nostri membris copulant, sed infra summum: earum ergo ab anima distinctio est coniuncta cum aliqua vera identitate, ea nimirum, quam communiter vocant realem absolutam: qua ratione dissimilitudo non summa, qualis est hominis, & equi, aliquam vtriusque similitudinem permittit, & caliditas non summa aliquam frigiditatem, &c. Tum sic: vniones illæ aliquam habent identitatem veram, & realem cum anima: at nullam inter se, quippe quæ sunt mutuo separabiles, & realiter absolute distinctæ. Difficultas autem mysterij Trinitatis in eo sita est, quod personæ Diuinæ, quam habent identitatem realem cum natura, eam non habeant inter se, sed potius veram distinctionem: talis ergo difficultas, vel certe alia, perquam similis, & nihilo minor in rebus creatis deuoratur ab iis, qui distinctionem modalem comminiscuntur esse minorem distinctione reali absoluta, atque inter eam, & solius rationis mediam.

16 Tandem hæc distinctio formalis, siue ex natura rei prout priori explicata modo contra non paucos Scotistas impugnatur in diuinis. Nam in primis ad contradictionem prædicatorum vni, eademque realiter subiecto conuenientium in Deo repertam sola distinctio virtualis intrinseca, siue quod iuxta est, non tam distinctio vera, & actualis, quam talis distinctionis virtus quædam, & æquiualentia sufficiens est, ut infra constabit. Deinde prædicata diuina separabilia non sunt, nec velut indifferens, & determinatum comparantur inuicem: ex quo fit, ut neuiquam capiant distinctionem illam ex natura rei, de qua impræsentiarum. Quod enim atinet ad gradus inæquales Dei proprios, si ratio entis, verbi gratia, in Deo reperta ab eo separari, & per differentias creatas contrahi posset, prædicatum aliquod in Deo repertum, foret imperfectum: siquidem non solum esse finitum, corruptibile, creatum, &c. verum etiam posse esse finitum, corruptibile, & creatum manifestam inuoluit imperfectionem:

nem : at ratio entis reperta in Deo ad creaturas contracta esset finita , corruptibilis , & creata : ergo si potest contrahi per differentias creatas finita , corruptibilis , & creata esse poterit , ac proinde imperfecta eius more , quo nos sumus . Quod autem attinet ad essentiam diuinam , & personalitates , certo certius est , eas non posse separari , aut vsquam distinctas inueniri : Nec valet , si qui Scotistarum respondeant , posse per se loquendo , & si essentia diuina , & personalitates non essent infinitæ , & entia à se , adeoque nulli mutationi subiecta : siquidem hæc euasio præclusa superius est tractat. 2. capitulo primò , in impugnatione sextæ sententiæ circa naturam identitatis , & distinctionis.

17 Præterea Dens admissa ea distinctione ex natura rei , siue modali inter essentiam , & relationes , mutationis capax foret : Modus enim creatus rem immutat , cuius est modus , cum tamen ab ea tantum ex natura rei distinguatur : ergo quælibet diuinarum relationum eius mutabit essentiam , esto ab illa non realiter absolute , sed solum ex natura rei , seu modaliter distinguatur : antecedens vbiatur primò : quoniam intellectio , & volitio nostra tamen iuxta non paucos modi sunt , intellectum , & voluntatem immutat , alias in creatis dari posset mysterium diuinæ libertatis , præferimus , si homo ex tota æternitate esset à Deo productus , & ante omne temporis initium liberè operaretur : secundò ad homines , vt aiunt , quia aliqui omnis mutatio localis de medio tolleretur , siquidem vbiatio modus est ex eorum sententia , quibuscum disceptamus : Tertio , quia alias subsistentia , quæ communiter modus asseritur , naturam non immutaret , & sic aliquid fieri posset homo , verbi gratia , aut aliud suppositum sine mutatione sui . Tandem , eiusmodi distinctionem ex natura rei , siue modalem admittere non posse in Deo suadet , quoniam aliqui in Deo compositio vera , & propria deberet admitti : qua ratione exploratum est , hominem v. g. simpliciter componi ex natura , & subsistentia modali , hæc semel concessa.

C A P V T III.

Distinctio formalis graduum posteriori explicata modo consutatur.

18 Videlicet prout est cum omnimoda inseparabilitate graduum coniuncta . Etenim , eius auctores id agunt , & hoc saxum continuè voluunt , vt illam non esse distinctionem realem conuincant : & iure quidem merito : eam enim admittunt inter naturam , & personalitates diuinas , quas tamen realis distinctio interesse nequit vt fide Sanctum . Quod autem in cassum laborent , & in distinctionem realem , vel inuiti recidant , hæc ratione ostendo : Distinctio illa ex natura rei est vera , ac propria distinctio , daturque à parte rei ante omne opus intellectus : vtrumque aduersarij concedunt : distinctio ergo realis debet esse ; non secus , ac Petrus , est homo realis , quoniam homo est verè , & propriè , nec non etiam à parte rei , & ante omnem mentis fictionem : cum tamen chimæra , verbi gratia , homoleo , aut homocentaurus , non sit realis homo , quia ante omnem operationem intellectus homo non est ; contra vero imago hominis ea de causa non sit realis homo , quoniam , esto à parte rei , & ante rationis vllum

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

opus , fictionemue , tamen non propriè , sed secundum quid homo est . Duæ ergo conditiones oppidò necessariae sunt , vt quidpiam tale realiter , siue hoc aliquid reale dicatur : quæ cum ambæ in distinctionem ex natura rei concurrant , non video , cur illa realis distinctionis rationem , & appellationem non subeat.

Confirmatur primò : Quæuis creatura ! & Angelus , ne dicam formica , infinitè distat à primo ente reali Deo optimo maximo : At nihilominus , quæuis est ens reale , & in hoc conceptu , cum Deo conuenit , quia nimirum est verum , propriumque ens , idque re ipsa , & scotim à quauis fictione mentis . Pari ergo ratione distinctio illa ex natura rei quantolibet intervallo distat à distinctione reali summa , erit tamen ipsa distinctio realis eo ipso , quòd distinctio vera , ac propria sit , & ante intellectum detur in rebus.

Confirmatur secundò : distinctio modalis est realis distinctio , vt ij , quibuscum lis est , admittunt , vtque , vel ex eo liquet , quòd ad realem , veramque compositionem sufficiat , vt capite præterito expendebam : Atqui distinctio modalis de eorundem sententia est infra summam distinctionem realem ; imò iuxta Fonseca , inter eam , & distinctionem realem summam alia quædam media interiacet . Quamuis ergo distinctio ex natura rei sit infra distinctionem modalem , realis tamen distinctio erit , vbi vera , propria , atque à parte rei existens sit ; solumque in eo discrepauit à distinctione modali , quòd vna sit maior , alia minor , non tamen in eo , quòd altera realis sit , secus altera.

Tandem confirmatur . Similitudo generica in ratione animalis longè minor est similitudine specifica in ratione hominis , & similitudo generalissima in ratione substantiæ est multò , multoque minor similitudine generali in ratione animalis , & similitudo omnium suprema in ratione entis est infra similitudinem in ratione substantiæ , eaque minor . Sed hæc similitudinum inæqualitas haud obstat , quominus earum quælibet stricta , ac realis similitudo sit , substantia enim realiter similis est accidenti in ratione entis , & animal in animalibus in ratione substantiæ , sicut homo realiter similis est equo in ratione animalis : in eundem ergo modum distinctio ex natura rei , vbi vera , propria sit & à parte rei reperitur , realis distinctio erit , quantumcunque sit distinctioni reali absolute , ac reali modali inæqualis.

Hæc disputata sumo contra Scotistas non paucos , qui nullatenus admittunt distinctionem ex natura rei cum inseparabilitate graduum coniunctam (de qua sola in præsentia) esse , aut vocari posse distinctionem realem . Aliqui tamen eius rationis non negant , eam distinctionem esse re vera realem , atque talem appellari potuisse , sed tamen id nominis applicatum esse ad significandum solam distinctionem summam , sicut etiam vocabulum distinctionis ex natura rei ad medium inter realem , & rationis denotandum adhibuitur est , ne videlicet ambæ non satis discerni possent intellectu , & consideratione nostra , si nominibus essent indiscretæ . Aduersus hos aliter est argumentandum , iis nimirum rationibus quibus supra vsi sumus contra priorè distinctionis formalis explicandæ modum : Nam talis distinctio graduum cum eorum omnimoda inseparabilitate coherens nequit non esse summa , ac tanta , quanta visitur inter Petrum , & Paulum , verbi gratia , contra quam eius Authores censent : Aut enim talis non est , quia non est inter rem , & rem :

B 3 aut

aut quia est inter extrema mutua inseparabilia : utraque autem ratio nullius est momenti, ut cap. præcedenti latè ostensum.

23 Rursus distinctio ex natura rei posteriori explicata modo oppugnatur : Quoniam ea, si detur in Deo, eiusque naturam, ac personalitates inter se pro eo, ac aduersarij contendunt, sanè non poterit Deus immunis esse à propria, ac vera compositione, contra, quàm definitum est in Concilio Rhemenfi contra Gilbertum Porretanum, & in Concilio Lateranenfi in capite firmiter & in capite. *Dammamus.* Sequelam ostendo : extrema inuicem communicata, & intrinsecè se se afficiunt, dummodo verè, ac propriè distinguantur, hoc ipso veram, propriamque compositionem efficiunt : aliàs, cur obsecro materia, & forma hominis veram, propriamque fortiuntur compositionem ? Sed natura, & personalitas Patris æterni, verbi gratia, verè, ac propriè distinguuntur iuxta hanc sententiam, & iuxta eandem communemque Catholicorum omnium intrinsecè se afficiunt, & mutuò communicantur : quid ni ergo veram, ac propriam compositionem sibi vendicent ?

24 Confirmatur, ac declaratur : Vbi est distinctio rationis, ibi est compositio rationis : & vbi distinctio realis, ibidem compositio realis : quæ duo, & per se dilucida sunt, & apud aduersarios in confesso : si ergo detur distinctio vera, propria, & actualis inter naturam, & personalitates diuinas, eaque à parte rei, & ante omnem intellectus operationem, negari non poterit in Deo compositio vera actualis, & propria ; quæque omnem mentis fictionem antecurrit. Quo autem nomine hæc compositio appellanda sit, & an physica, vel metaphysica, non laboro : Vbi enim eam veram, strictam, & actualem esse obtinuerit, exiguo deinde vestigio à Deo relegandam esse constabit, aduersus quam Patres, & Scripturæ definiunt.

25 Postremum alio ex capite reiiciendam à Deo esse distinctionem illam ex natura rei manifestè, nisi fallor, ostendo ; si prius tamen quædam præmiserit : Quorum primum sit, contradictoria virtualiter, non minùs repugnare, quàm contradictoria formaliter : nam assensus, & eius carentia diuinitus ad summum in eodem intellectu repugnant : sed assensus, & dissensus diuinitus etiam in eodem intellectu coniungi nequeunt, si, quod fert communior opinio, virtualiter contradicunt : ergo hæc oppositio, & repugnantia posterior tanta est, quanta prior, ac formalis.

26 Præmitto secundò, prædicata contradictoria virtualiter alia esse circa subiectum physicum, vel informationis, qualia censentur assensus, & dissensus : alia circa subiectum intentionale, & affirmationis, qualia sunt omnia distincta realiter ; sicut enim in eodem intellectu tanquam in subiecto physico assensus, & dissensus reperiri nequeunt etiam diuinitus (vel, si de assensu, & dissensu id neges, aliæ quidem formæ positionis Deo possibiles, ita esse impossibiles poterunt) sicut, inquam, hæc ita se habent ; ita de eodem subiecto metaphysico, siue intentionali, Petrus, verbi gratia, & Paulus, ne diuinitus quidem verè prædicari possunt : Et sicut assensus infert carentiam dissensus in eodem subiecto physico, ita Paulus negationem Petri de eodem subiecto intentionali.

27 Præmitto tertio, paternitatem, & filiationem diuinam virtualiter contradicere : siquidem realiter distinguuntur, non minùs, quàm Petrus, & Paulus. Præmitto quarto, de essentia diuina absque vlla distinctione formali intrinseca ex parte illius affirmari, & verificari prædicata contradictoria virtualiter, nimirum paternitatem, & filiationem : aut enim essentia diuina in plures formalitates insectilis est ex natura rei, & ita intentum habetur : aut ex natura rei diuidua est, ac scetilis ; & eadem est ratio : sume enim quamuis formalitatem essentia ex natura rei indiuisibilem, ea sanè cum filiatione, & paternitate realiter distinctis eadem erit, atque adeo prædicata virtualiter contradictoria lubibit.

28 Quibus constitutis in hunc modum distinctionem ex natura rei Deo neutiquam inesse suadeo. Non minùs repugnant de eodem subiecto prædicata contradictoria virtualiter, quàm contradictoria formaliter, ut ex primo constat præmisso : Sed de diuina essentia absque vlla distinctione ex natura rei in semetipsa prædicata virtualiter contradictoria verificantur, ut ex tertio, & quarto præmisso liquet. ergo etiam de essentia, & paternitate absque vlla inter eas distinctione ex natura rei prædicata formaliter contradictoria verificari poterunt, nimirum alteram communicari filio, alteram ei non communicari.

29 Confirmatur primò quoniam ideo diuina essentia relationibus realiter distinctis, & virtualiter contradicentibus, sine vlla tamen vera, & actuali distinctione identificatur ; quia est simpliciter infinita, defectu cuius infinitudinis in rebus creatis similis identitas repugnat, ut superius ostendimus : At complexum essentia, & paternitatis est infinitum : huius ergo infinitatis beneficio, & seorsim à quauis distinctione ex natura rei inter eiusmodi formalitates, ea subire poterunt prædicata contradictoria formaliter, qualia sunt communicari, & non communicari.

30 Confirmatur secundò : De collectione infinita durationum futurarum verificatur præterisse diuinitus, & non præterisse collectiue in aliquo instanti, quia de quauis duratione illius collectionis infinita in aliquo instanti verum erit dicere iam præterit, secus verò de omnibus collectiue sumptis : at de collectione finita durationum verificari nequit præterisse diuinitus in aliquo instanti, & non præterisse collectiue : eo enim ipso, quòd de quauis octo durationum in aliquo instanti verum sit dicere iam præterit, de tota collectione octo durationum in aliquo instanti verum erit dicere : iam præterit : circumscripta igitur omni distinctione formali intrinseca, siue ex natura rei, alia est ratio subiecti infiniti, alia finiti, quoad enuntiationem prædicatorum contradicentium, siue quoad affirmationem, & negationem : tametsi ergo essentia, & Paternitas ex natura rei distinctæ non sint, tamen altera communicari, siue identificari realiter, & altera non communicari poterit, eo, quòd utraque sit simpliciter infinita, quantumuis nulla res creata absque distinctione vera, & actuali id genus prædicata contradictoria (quidquid sit de aliis) tubire queat, nimirum, quia est finita.

31 Confirmatur tertio. Paternitas, circumscripta quauis distinctione ex natura rei ex parte illius se habente, merito solius infinitatis tribus personis collectiue sumptis æqualis est, illudque principium, totum est maius sua parte in diuinis enervat, cum tamen

tamen in rebus creatis, quia finita sunt, omnino teneat: similiter ergo essentia, & Paternitas absque vlla inter eas distinctione formali, ratione solius infinitatis ad contradictoria formaliter, qualia sunt communicari, & non communicari sese extendant, licet nulla res creata utpote finita absque vera, & formali multiplicatione, vel distinctione sui suscipere queat eiusmodi prædicata contradictoria.

32 Huic postremo argumento lucem adhibebunt nonnulla, quæ in contrarium obici possunt. Primum est Paternitatem, & Filiationem non esse prædicata contradictoria, quia circa quodvis subiectum non repugnant, essentiam videlicet, licet circa aliquod subiectum, nimirum Paternitatem opponantur, aut si mauius, circa Filiationem: harum enim relationum neutra est vtraque, id est Paternitas simul, & Filiatio. Proinde essentia diuinæ prædicata virtualiter contradictoria non conuenient, ut arguebamus. Hæc tamen obiectio facile repellitur: eadem enim ratione dicam, communicari, & non communicari haud esse prædicata contradictoria formaliter, quia circa quodvis subiectum non repugnant, videlicet essentiam, & Paternitatem omnino indistinctas formaliter, licet circa solam essentiam repugnent.

33 Obiicies secundò: essentia quantumvis infinita communicari, & non communicari nequit, nimirum, quia ex natura rei in semetipsa indistincta est: ergo essentia communicari, & Paternitas non communicari nequit, si ex natura rei indistincta sint, quantumvis sint infinita. Respondeo: essentia ratione suæ infinitatis cum relationibus realiter distinctis, & virtualiter contradictoriis identificari postulat; cum qua identitate minimè coheret, quod communicari, & non communicari possit: quæ ratio non militat in essentia, & Paternitate, seu Patre ex ambabus complexo, qui realiter distinctis identificari non postulat, atque adeò, quoad vnam formalitatem communicari, & quoad aliam non communicari poterit.

34 Obiicies tertio: Nequit communicari à parte rei vnum sine alio, vbi vnum, & aliud formaliter non reperitur: at in Patre quatenus ex essentia, & Paternitate coalescit, non datur vnum, & aliud formaliter iuxta nostram sententiam: vnum igitur prædicatum Patris sine alio non poterit Filio communicari. Respondeo concessa consequentia: nec enim illud contendimus, nec fide, aut ratione cogimur asserere, vnum prædicatum Patris à parte rei communicari, & aliud propriè tale non communicari, sed solùm essentiam communicari, & Paternitatem non communicari, quamuis vtraque sit non vnum, & aliud propriè, & ex natura rei prædicatum, sed potiùs ea ratione prorsus idem. Vel dic, in Patre dari vnum, & aliud prædicatum, sin minus formaliter, & ex natura rei, at saltem virtualiter; atque hoc satis esse, ut quadantenus communicetur, & sit quadantenus incommunicabilis.

35 Obiicies quarto: in nostra sententia, has propositiones: *Essentia communicatur: Paternitas non communicatur*, esse contradictorias, cum affirmet, & negent idem de eodem etiam formaliter; atque adeo duas contradictorias esse veras, quod tamen est manifestè falsum. Respondeo oppositio contradictoria est affirmatio, & negatio eiusdem de eodem etiam virtualiter: cum ergo Paternitas, & essentia diuina distinguantur virtualiter, non obstantè earum indistinctione formali, & ex natura rei præfatæ propositiones ab eis tanquam subiectis inchoantes neutriquam erunt contradictoria.

Tandem obiicies: Paternitas, & Filiatio diuina quantumvis realiter distinctæ non sunt prædicata contradictoria virtualiter: falso igitur principio nostrum innititur argumentum: antecedens suadetur, nam essentia diuina non solum ex natura rei non est distincta à seipsa, sed nec etiam virtualiter intinsecè, ut certo certius videtur: at esset virtualiter distincta à seipsa, si Paternitas, & Filiatio, quæ de ea dicuntur, essent prædicata yllatenus contradictoria: siquidem distinctio virtualis in aptitudine ad prædicata contradictoria consistit. Respondeo, aptitudinem ad sola prædicata contradictoria formaliter fortassis esse distinctionem virtualem: eam vero, quæ est ad virtualiter contradictoria, id est extrema realiter distincta esse quid eminentius omni distinctione virtuali, videlicet infinitatem: quo fit essentiam diuinam haud esse à seipsa virtualiter distinctam, tamen si Paternitas, & Filiatio, quæ de ea prædicantur, virtualiter contradicant. Respondeo secundò, nihil incommodi esse, si essentia diuina, & quævis etiam eius formalitas sit à seipsa virtualiter distincta vno sensu, & in ordine ad aliqua prædicata contradictoria, nimirum virtualiter talia, vbi alio sensu, & respectu habito ad alia prædicata contradictoria, nempe formalia, distinctionem virtualem procul habeat.

37 Duobus vltimis argumentis, quibus hoc cap. vsi sumus ad relegandam à Deo distinctionem ex natura rei, siue formalem prout posteriori modo explicatam, vti etiam possumus, & à fortiori, ut aiunt, ad illam ab eo reiiciendam prout priori est explicata modo, ac prout est cum separabilitate coniuncta: ita enim est vera, & actualis distinctio, omnique intellectus operatione anterior: & multò potiori iure, quam quando inseparabilitatem extremorum, vel postulat, vel supponit.

C A P V T IV.

Potissimum pro distinctione formali graduum argumentum proponitur, ac dissoluitur.

38 ID nimirum, quod ex similitudine & dissimilitudine vnius, eiusdemque rei cum alia flos nostræ Iberniæ Scoros desumpsit. Eadem formalitas nequit esse similis, & dissimilis alteri, aliàs eadem formalitas esset similis, & non similis alteri, atque adeo prædicata contradictoria subiret, quod tamen est impossibile, & repugnans: at homo, v. g. est similis, & dissimilis equo, quæ animal, & quæ rationale: debet igitur in eo distingui duplex formalitas, quarum altera eum à parte rei assimilet equo, altera verò dissimilet, animalitas nimirum, & rationalitas. Quod argumentum crux ingeniorum meritis appellari potest: adeo plerisque torquet, omnesque in partes versat.

39 Nonnulli respondent, nullam substantiam similem, aut dissimilem secundum se esse, sed has denominationes qualitati immediatè competere, & ab ea in substantiam mediatè deriuari, quod censuisse videtur Aristot. 5. metaph. *Sicut vnitatis*, inquit, *in substantia facit idem, in quantitate aequale, ita quoque in qualitate facit simile*. Cum Aristotele Boëtius, & reliqui interpretes consentiunt. Quo posito, cum dicitur hominem esse similem, & dissimilem; in substantia hominis plures formalitates ex natura rei distinguendæ non sunt, cum ex denominationes in eius substantiam non cadant: solum ergo opposita illa prædicata arguunt in homine accidentia realiter distincta, quorum alia sint similia, alia verò sint dissimilia iis, quæ reperiuntur in equo.

40 Difficet tamen hæc solutio: Primum, quia Deus similis est creaturæ, & è conuerso, iuxta illud Genesios *creauit hominem ad imaginem, ac similitudinem suam*: at in Deo nulla est qualitas, accidens nullum à se realiter distinctum: eius ergo substantia immediate similis est creaturæ, ac proinde similitudo, & dissimilitudo propriæ non sunt solius qualitatæ accidentariæ. Rursus secundo, quia non magis similitudo, & dissimilitudo qualitatæ ab Aristotele, & affectibus attribuitur, quàm æqualitas, & inæqualitas quantitati: at substantiæ immediate æquales, & inæquales sunt; quæ ratione tres personæ diuinæ æquales sunt substantia-liter sumptæ: similiter ergo substantiæ immediate similes erunt. Tertio, etiam identitas ab Aristotele substantiæ attribuitur, & tamen in quoduis accidens secum ipso collatum conuenit: ergo, &c. Quarto, quia eadem qualitas est similis, & dissimilis alteri; candor, verbi gratia, similis est rubedini in ratione coloris, & dissimilis in ratione candoris: iam ergo in eo duæ formalitates ex natura rei distinguendæ sunt: nec enim similitudo, & dissimilitudo accidentium explicari potest per alia accidentia, ne in infinitum progrediamur.

41 Aristoteles autem (vt notat Alensis 5. metaphys.) ubi supra sermonem habet, non de qualitate accidentali, sed de transcendentali, quæ etiam substantiis communis est, earumque affectio sola ratione distincta esse potest: qua ratione in symbolo Athanasij dicitur: *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus*: ibi enim non de qualitate merè accidentaria, quæ in Deo locum non habet, sed de æternitate, immensitate, aliisque Dei attributis substantia-libus est sermo, vt constat ex decursu symboli. Quocirca, vt semel dicam, Aristoteles adducto loco non de quantitate molis, vel tumoris, sed de quantitate perfectionis, quæ substantias etiam transcendit, nec de substantia, prout hæc accidenti opponitur, sed prout transcendentaliter sumitur, & cum essentia, qualiscumque illa sit, coincidit, re vera sermonem habet: similiter ergo de qualitate, &c. Vide dicenda inferius lib. 3. tractatu 6. cap. 9. ibi namque ostendam, substantiam esse posse immediatum fundamentum, non tantum similitudinis, sed etiam plurium aliarum relationum prædicamentaliū.

42 Secundo: alij respondent, solas species infimas similes esse, reliqua verò, quæ non sunt eiusdem speciei, esse prorsus dissimilia: vnde, inquiunt, homo similis, & dissimilis equo perperam assumitur, cum homo, & equus omnino dissimiles sint, duo autem homines præcisè similes. Hæc etiam solutio displicet. Namque in primis Deus, & creatura similes non forent, cuius oppositum scripturæ testantur. Deinde Filius Dei dicitur, & est imago Patris æterni, & consequenter negari nequit ei esse similis, cum tamen persona Patris, & persona Filij plusquam specie infima differant, quippe magis, quàm duo Patres, vel duo Filij, si per impossibile darentur. Rursus omne agens intendit assimilare sibi passum, (vt fert Philo-sophica paræmia:) at non omne agens molitur producere in passum effectum eiusdem speciei infimæ, aliàs omne agens esset vniucum, & nullum æqui-uocum: ergo absque conuenientia specifica reperiri potest vera similitudo. Præterea iuxta hos Neotericos homo leoni, quàm lapidi similior non esset: quod argè à me impetrabunt.

43 Vltèrius iuxta solutionem illam, nulla similitudo esset cum dissimilitudine, & nulla dissimilitudo cum similitudine coniuncta: nam penes eam, quæ specie differunt, haud sunt similia genericè, nedum spe-

cificè; quæ verò differunt genere, haud sunt similia specie, aut genere, vt per se palam. Consequens autem est manifestè absurdum, eiusque contrarium tradunt Augustinus lib. 11. de ciuit. cap. 27. his verbis: *Sed de duobus illis, essentia, scilicet, & notitia, quantum amentur in nobis, & quemadmodum etiam in cæteris rebus, quæ infra sunt earum reperiatur, est differens, quadam tamen similitudo, quantum suscepti huius operis visa est ratio postulare, satis diximus.* Plato in Parmenide: *Putasne, inquit, esse per speciem quandam similitudinis? Et huic aliam quandam contrariam dissimilitudinis speciem? In quibus duabus, & ego, & tu participemus, & alia, quæ utique multa vocamus, atque ea quacumque in similitudine participant, similia fieri cætenus, quatenus participant? Quæ verò dissimilitudine dissimilia, & quæ utrisque utraque? Quod si omnia utrisque contrariis existentibus participant, similia, & dissimilia inter se sunt, quid mirum? Ac denique Fabius lib. 5. c. 11. Scio, inquit, quosdam inani diligentia per minutissimas partes ista secuisse, & esse aliquid minus simile, vt simia homini, & marmora deformata prima manu: aliquid plus, vt illud non onum tam simile onno: & dissimilibus inesse simile, vt est formica, & elephanto genus, qui sunt animalia: & similibus dissimile, vt canibus catulos, & matribus hados:*

Differunt enim ætate.

Quibus verbis tametsi ad rem oratoriam hæc parum attinere, & superuacua esse censeat, vera tamen esse differet fatetur.

Plaut.
in capt.
Eclog.
1. Virg.

Postea sic arguo aduersus eandem solutionem: nam si rerum genere differentium nulla sit similitudo propriè loquendo, tametsi nobis aliqua eis inesse videatur; contra rerum, quæ nobis dissimiles genere, aut specie apparent, nulla erit dissimilitudo: quoniam enim impugnari potest hoc posterius commentum, admissio illo priori? Tam ergo haud iniuria sustulerit de medio relationem omnem dissimilitudinis Euthydemus ille apud Platonem in Cratilo inquit, *Omnia omnibus inesse similiter, ac semper.* Pari modo haud iniuria dixerit Anaxagoras, nullas res esse substantia-liter, vt aiunt, dissimiles, easque differre tantum penes magis, & minus, & aurum, v. g. potius aurum quam ignem appellari, quia plures habet partes auti, quàm ignis, & sic in reliquis. Ita de eo refert Lucræ. lib. 1.

44

Nunc & Anaxagoras scrutemur homioimerian, Quam Græci memorant, nec nostra dicere lingua Concedit nobis patry sermonis egestas, Sed tamen ipsam rem facile est exponere verbis, Et mox infra:

Hoc & Anaxagoras sibi sumit, vt omnibus omnes Res putet inesse immixtas rebus latitare; sed illud Apparere vnum, cuius sint plurima mixta,

Et magis in promptu, primaque in fronte locata Tandem præter similitudinem specificam admittendam esse genericam, tuerentur B. Thomas 1. p. quæst. 26. art. 1. ad 2. Relatio, inquit, quæ importatur per hoc nomen, idem est relatio rationis tantum, si accipiat simpliciter idem: secus autem est, cum dicuntur aliqua eadem esse, non in numero, sed in natura generis, sine speciei. Suarez disp. 47. metaph. sect. 11. num. 16. his verbis: *Dicendum censeo, non solam unitatem specificam, sed etiam genericam sufficere ad aliquam relationem similitudinis.* Et paulò infra: *Neque obstat, quod res differentes specie potius dicantur dissimiles simpliciter, quàm similes: nam hinc solum sequitur relationem similitudinis genericæ præcisè sumptam non esse (vt ita dicam) tam potentem ad denominandum, sicut relationem similitudinis, vel dissimilitudinis specificæ:*

specificæ: nihilominus suam confert denominationem, nempe talis similitudinis, nempe generica. Antonius Andreas lib. 5. metaphys. quæst. 13. ad 3. Hurtadus, Arriaga, & plerique scholastici, tum recentiores, tum etiam antiqui.

45 Tertiò, alij respondent, vnam formalitatem hominis non esse similem equo, & aliam dissimilem, vt argumentum contendit, sed totum hominem prout animalitatem, & rationalitatem complectitur, esse similem equo in ordine ad sensationes, & totum iridem esse dissimilem equo in ordine ad discursus. Sed ne ita satisfiat argumento. Namque, aut similitudo, & dissimilitudo illa hominis cum equo ita explicata in accidentia sola, & operationes refunditur: & sic hæc solutio cum prima paulò superius impugnata coincidit: aut ea similitudo, & dissimilitudo in ordinem, ac respectum intrinsecum, & essentialem ad accidentia, & operationes refunditur: & sic in homine duplex ordo transcendentalis, & intrinsecus ex natura rei distingui debet, alter ad sensationes, quod sit equo similis, & alter ad discursus, quod equo dissimilis sit. Et quidem duplex ille ordo, & respectus est animalitatis, ac rationalitatis.

46 Quartò, alij respondent, similitudinem, & dissimilitudinem hominis, & equi non esse prædicata contradictoria, eo, quod hominem, & equum esse similes, nihil aliud sit, quam esse duo animalia, & esse dissimiles, quam non esse duo rationalia: esse autem duo animalia, & non esse duo rationalia contradictoria non sunt: vnde similitudo, & dissimilitudo hominis, & equi sibi non contradicuntur inuicem: declaratur, & corroboratur: cum homo similis, & dissimilis equo affirmatur, dissimilitudo hominis respectu equi non negat similitudinem duorum animalium, quæ præcisè affirmatur, sed similitudinem duorum hominum, aut equorum, quæ non affirmatur: vnde hæc propositio: *homo est similis equo*, & hæc: *homo est dissimilis equo*, contradictoria non sunt, cum aliud affirmant, aliud negent.

47 Hæc solutio verisimilis quidem est, haud tamen omnino vera, vel sufficiens: id enim habet vitij, quod principium manifestè repetit. Illud namque argumentum contendit esse duo animalia, & non esse duo rationalia, esse prædicata contradictoria, cum illud similitudinem, & hoc dissimilitudinem importet. Quod autem dicitur, dissimilitudinem hominis, & equi tantum negare similitudinem duorum hominum, aut equorum, falsum est: quia duo Angeli infra eandem speciem infimam non habent similitudinem duorum hominum, aut equorum, siue, quod perinde est, non sunt duo homines, duosque equi: & tamen dissimiles non sunt, sed potius omnino similes: ergo non habere similitudinem duorum hominum, aut equorum absolute dissimilitudo non est.

48 Quintò, alij respondent, similitudinem, & dissimilitudinem non consistere in indiuisibili, sed in ea esse, quod auit, magis, & minus, non solum extensivè, verumetiam intensivè, aliamque esse specificam, & maiorem, aliam genericam, & minorem. Similitudo autem, & dissimilitudo specificæ, & intensæ contradicunt, nec vnquam possunt coherere, aut in vna re morari: secus verò similitudo generica, & minor, & dissimilitudo specificæ, & maior: quæ ratione calor, & frigus intensæ contrariantur, calor autem remissus, & frigus intensum haud se tollunt, sed potius conveniunt: homo autem, & equus genericè similes, & specificè dissimiles sunt, & ideo prædicata contradictoria non subeunt, prout ad formalitatem distinctionem ex natura rei oportet. Hanc

solutionem hæctenus satis impugnatam non video, sed falso tamen eam principio inniti manifestè constabit inferius, cum de distinctione virtuali egerimus.

Demum responderi potest iuxta doctrinam Aureoli, ac Gerardi Senensis, & aliorum, similitudinem, & dissimilitudinem, esse relationes rationis, & præter entitates fundamenti, & termini formaliter includere actum intellectus, quo comparantur inuicem: quare cum dicitur, animalitas hominis est similis equo, rationalitas non est similis, tantum affirmari animalitatem, & rationalitatem ex æquo esse similem equo conceptu correspondente huic voci, *animalitas*, & non conceptu correspondente huic voci, *rationalitas*, & rationalitatem, ac animalitatem esse dissimilem equo conceptu correspondente huic voci, *rationalitas*, non verò huic, *animalitas*. Ex quo nulla in rebus distinctio formalis arguitur, sed sola distinctio realis in conceptibus nostris, quorum alter hominem equo assimilatur, alter eum dissimilatur. Verum hæc solutio fragili, ac ruinoso innititur fundamento, vti in prædicam, ad aliquid latè, & ex professo ostendendum est.

Id ergo argumento subtilissimi Doctoris tribuo, in gradus superiores, & inferiores prædicata contradictoria convenire, atque, quod consequens est, aliquam inter eos distinctionem à parte rei interesse: Ea tamen est virtualis intrinseca, non formalis, & ex natura rei, vt constabit inferius. Et quidem, vt minimum admittendam esse distinctionem virtuales cum contradictione prædicatorum coniunctam, vi utriusque similitudinis, & dissimilitudinis quoties hæc in eadem re concurrunt; fierique non posse, vt aliquid, quatenus est simile sit eatenus dissimile, aut è converso, sed vnam denominationem ei convenire penes vnam formalitatem, & aliam penes aliam perspicue docet Plato in Parmenide his verbis: *Quomodo id dicis ò Zeno, si multa sunt, que sunt, oportere ea similia, atque dissimilia esse: est enim impossibile.* Et paulò infra: *Si quis enim ipsa similia dissimilia esse diceret, vel dissimilia ipsa similia, monstrum quoddam, vt arbitror diceret.*

C A P V T V.

Alia argumenta pro distinctione formali graduum proposita, ac soluta.

51 **A**Nimal, verbi gratia, quod est in homine separabile est à rationalitate, & cum hincibiliter identificabile: ergo verè, & à parte rei distinguitur à rationalitate: separabilitas enim realis vbiuis est signum alicuius propriæ, & actualis distinctionis: at eorum graduum distinctio non est realis, & summa: ergo ex natura rei, & media: Primum antecedens argumenti (cæteræ enim eius partes probatione non egent) suadet hunc in modum. Patres communiter nos excitant ad agendas Deo gratias, quod nos homines, non belluas fecerit, aut lapides: quia ergo animal, quod est in homine contrahi Deo volente potuit per differentiam belluæ, & quæ reperitur in eo ratio entis, aut substantiæ per differentiam lapidis, aliamue inanimam: aliàs frustra gratiæ Deo agerentur pro eo, cuius oppositum euenire non potuit. Quod autem ita nos moneant Patres, perspicuum est: namque, vt alios prætermittam, Augustinus in libro soliloquiorum cap. 19. sic habet: *Potuit quidem manus tua Domine me lapidem, vel anem, vel serpentem, vel belluam* aliquam

aliquam creare, & sciuit: sed noluit propter suam bonitatem: quare ergo ego non sum lapis, vel arbor, vel aliqua bellua: quia sic ordinavit bonitas tua, & ut hoc ordinaret, non praeceperunt merita mea. Deinde Bonaventura in libello, qui inscribitur amatorium, eodem etiam modo loquitur ex Anselmo in hac verba: In primis igitur te admono, ut sine intermissione recorderis, quam dulcis, & quam bonus sis erga te creator tuus, quanta bonitas eius fuit, qui te, cum non esses, creavit, & qui te non pecus, aut creaturam insensibilem, sed eam essentiam fecit, qua eum posses intelligere, amare, & cum eo suam aeternitatem aeterna, & felix possidere. Ita quoque ferme loquitur Claudianus Mamercus lib. 1. de statu animae cap. 21. Plato quoque teste Lactantio lib. 3. diuin. institutionum cap. 29. Aiebat se gratias agere naturae: Primum, quod homo natus esset potius, quam mutum animal: Deinde, quod masculus potius, quam femina: quod Gracius, quam barbarus: Postremo, quod Atheniensis, non Thebanus, & quod temporibus Socratis.

52 Respondeo: gratias agere Deo possumus, & debemus, quod homines, non belluas nos effecerit, non quia ratio animalis in nobis reperta belluina esse potuerit, quod nostra materia forma belluina informata non sit pro eo, ac potuit: Quod si hoc, quod euenire potuit, Dei arbitrio eueniret, sanè belluæ quodammodo dici possemus; sicut lignum ignis fieri, & esse potest, eo, quod materia lignea possit ignescere, siue formam ignis suscipere. Pari modo æquum est, ut Deo gratias habeamus, quod nos non fecerit lapides, non propter veram aliquam, & positivam aptitudinem entis, quo sumus, aut substantiæ, qua per se sumus ad differentiam lapidis, sed, quod nostra materia sit indifferens, & apta ad formam physicam lapidis, aut cuiusvis alterius rei inanimatæ.

53 At instant aduersarij, & Basilium nobis opponunt homil. 6. in hexameron, ubi loquitur in hac verba: Afferendum esse censeo, quæ mentis sola agitatione, cogitationeque disparari à se possunt, ea re ipsa se iungi facultate creatoris utriusque natura posse. Vbi non solum materiam nostram à physica forma nostra separari, & coniungi posse cum alia insinuat, sed gradum genericum nobis inexistentem à differentia sua Metaphysica separari, & cum alia copulari posse diuinitus: siquidem materiam nostram, & formam, non sola cogitatione, sed re vera possumus separare, morteque nobis, & aliis consciscere, cum tamen gradus Metaphysicos, genericum nempe, & differentialem, sola cognitione possumus diuidere: Ad horum ergo separabilitatem realem Deo possibilem respexit Basilius adducto loco. Sed nequaquam: quin potius ad separabilitatem realem aliquorum entium realiter distinctorum, quæ tamen separare nos non possumus, nisi sola cognitione, qua ea distinguimus: sic enim post verba nobis obiecta prosequitur: Nam & ignis vim vstinam ab eius splendore: tu quidem ipse separare minime vales: Deus autem volens famulum suum reddere sibi attentorem illo admirabili spectaculo, in rubum ignem splendore solum agentem otiosam, autem, flagrandi, vrendique facultatem habentem immisit, & ut psalter restaret, vox Domini, dicendo, intercidentis flammam ignis.

54 Alij sic arguunt: Paternitas diuina actu, formaliterque nequit communicari Filio, siue Filio communicabilis non est, actu ergo, & formaliter communicabilitas non est, actu ergo, & formaliter distinguitur à communicabilitate: cum ergo communicabilis quidditatiuè sit essentia Dei (quis enim ne-

get hanc per seipsam posse communicari, & esse id, in quo sibi communicant inuicem personæ diuinæ?) sanè Paternitas non poterit non distingui actu, & formaliter ab essentia: eiusmodi autem distinctio actualis essentia, & Paternitatis non est realis & summa, ut fidè Sanctum: ergo infra summam. A fortiori ergo, ut aiunt, in rebus creatis, ubi non est tanta simplicitas, admitti debet distinctio aliqua formalitatum ex natura rei, & reali minor, atque inter eam, & distinctionem rationis media.

55 Verum in primis eodem argumento probari posset, essentiam diuinam à relationibus realiter distingui, quod salua fide sustineri nequit: nam Paternitas realiter communicabilis non est Filio: ergo ab essentia, siue communicabilitate realiter distinguitur, siquid valet argumentum factum. Respondeo secundo, primam argumenti consequentiam nullam esse, & à negatione concreti ad negationem abstracti perperam argui: quamuis enim valet hæc propositio: *Essentia rosa realiter non existit*, non tamen hæc, *Essentia rosa realiter non est existentia illius*: & licet valeat itidem hæc propositio: *Deus realiter non vult*, non tamen hæc: *Deus realiter non est sua volitio*. Respondeo tertio: cum negatur communicabilitas, siue identitas cum Filio de Paternitate, non identitatem essentialem, siue, quoad naturam de ea negari, sed identitatem relationum cum Filio: huiusmodi autem identitas est ipsa Filiatio: hæc ergo negatur, & non essentia de Paternitate: adeoque distinctio realis inter Paternitatem, & Filiationem, non verò ex natura rei inter Paternitatem, & essentiam concluditur.

56 Et verò Scotus, quantum opinor, non distinctionem hanc ex natura rei, sed solam distinctionem virtuales in diuinis admittit: namque in 1. distinct. 3. quæst. 6. maiorem distinctionem inter gradus superiores, & inferiores, quam inter Paternitatem, & essentiam expressè adstruit: ergo quia inter illos distinctionem ex natura rei, & inter has distinctionem virtuales inter se censet. Et in 1. distinct. 7. docet hanc prædicationem esse fallam: *animalitas est rationalitas*, hanc autem esse veram; *Paternitas est essentia*: ergo, quia extrema prioris propositionis ex natura rei, extrema verò posterioris tantum virtualiter intrinsecè distinguit. Ac tandem in 1. dist. 2. quæst. 7. sermonem habens de distinctione essentia à relationibus de ea sic pronuntiat: *vel alio modo potest vocari differentia virtualis*.

57 Alij longius progrediuntur, atque in ea sententia sunt, ut existiment Scotum ne in rebus creatis admisisse maiorem distinctionem, quam virtuales, siue rationis ratiocinatæ. Ita Gabriel in 1. distinct. 2. art. 1. & art. 3. distinct. 3. Hurtadus disp. 6. metaph. sect. 4. §. 27. & ipsorum Scotistarum non pauci apud Gregorium in 1. distinct. 8. quæst. 8. art. 1. & apud Suarez disp. 7. metaph. sect. 1. num. 13. sed contrarium manifestè constat, tum ex dictis numero superiori, tum ex testimoniis Scoti supra cap. 1. huius tractatus indicatis magis, quam prolatis. Atque ulterius suaderetur hunc in modum: Scotus admisit in creatis distinctionem inter gradus metaphysicos inæquales maiorem ea, quæ reperitur inter formalitates diuinas: at inter has reperitur distinctio virtualis intrinseca iuxta Scotum, ut nuper visum est: admisit ergo distinctionem ex natura rei in creatis virtuali maiorem, adeoque formalem. Maior probatur, quia inter formalitates creatas compositionem veram adstruit, eamque negauit inter diuinas: plus igitur illas, quam has opinatus est distingui. Antecedens quoad eius utramque partem suaderetur luculento quodam testimonio

testimonio Scoti in 1. distinct. 3. quæst. 6. ubi sic habet: *Compositio potest intelligi prout ex re actuali, & re potenciali, vel minus proprie prout ex realitate, & realitate in eadem re. Primo modo non est individuum compositum respectu naturæ specificæ, quia nullam rem addit, quia neque materiam, neque formam, neque compositum, sicut procedit argumentum. Secundo modo est necessaria compositio, quia illa realitas, à qua accipitur differentia specifica potentialis est respectu illius, à qua accipitur differentia individualis, sicut si essent res, & res: non enim realitas specifica ex se habet, ut per identitatem includat realitatem individualement, sed tantum aliquid tertium includat ambo ista per identitatem: & hæc est compositio, qualis non potest stare cum simplicitate diuina. Atque hæc obiter de mente Scoti.*

58 Tandem eius affectu opponunt, animalitatem, verbi gratia, & rationalitatem diuersis definitionibus definiti: vnam item cognosci posse sine altera: quæ tamen, & omnia solam distinctionem virtutalem probant, & ne hanc quidem probant, prout ab eis proponuntur.

C A P V T V I.

Vnititas formalis graduum multifariam, explicatur & reicitur.

59 **N**on pauci Scotistæ existimant, in Petro, verbi gratia, & Paulo ita vnam, eandemque realiter esse naturam humanam, ut ea nullo modo sit in ambobus diuersa, sed potius tota eorum diuersitas in singularitatibus sita sit. Quocirca iuxta hos auctores vnititas formalis, & ex natura rei haud est minor, quam realis, & numerica: (cùm enim omnem profusum distinctionem, ac diuersitatem ab iis, quos interiacet, gradibus excludat, qui nequit non esse summa? qui minor alia vlla?) vocatur ergo ab eis vnititas formalis, quod non consequatur gradum individualement, & numericum more vnitatis numericæ, sed potius gradus superiores, & formales, cuiusmodi sunt homo, animal rationale, viuens, &c. qui sunt quædam formæ metaphysicæ, siue logicæ, eo, quod directè prædicentur de individuo, eique quodammodo superueniant.

60 Cæterum hæc sententia satis absurda est, ut constat ex iis, quæ in Dialect. lib. 8. tract. 2. cap. 1. differimus aduersus sententiam ab Aureolo, Arriaga, & aliis Platoni falso affectam; necnon ex iis, quæ eodem tract. cap. 2. disputauimus contra Trinitatem, & quaternitatem creatam, quam sanè hi auctores in scholas inuehant, ut rem intuenti constabit. Rursus secundo impugnatur ea opinio: quia ad multiplici-
tatem, & distinctionem hominum sola distinctio, & multiplicitas singularitatum, per quas contrahitur natura humana, nequaquam est sufficiens: sicut ad distinctionem, & multiplici-
tatem Deorum satis est distinctio, & multiplicitas personalitatum: at in hac sententia solæ singularitates hominis, ut sic multiplicantur, natura humana interim immultiplicata; Petrus ergo, & Paulus non sunt plures homines. Dicent aduersarij hominem sumi posse pro sola hæc-
ceitate, & indiuiduatione, ad modum, quo in pluri-
um Theologorum sententia Deus pro sola deitate, & suppositum pro sola personalitate accipitur: quo dato distinctio hæc ceitatem efficit, ut distincti homines reperiantur, esto sit humanitas eadem. Verum enim homo humanitatem exprimit, & formalissi-
mè inuoluit, ut cerro certius: vnde non distincta

humanitate distincti homines minimè euadent: quæ ratio in supposito non militat, quod solam persona-
litatem, siue suppositualitatem exprimit, & solam eam includit in vno sensu, quo potest accipi: idemque de Deo dicendum.

61 Tertiò confutatur ea sententia: quoniam si eadem omnino ratio entis, & viuents Deo, & creaturis identificatur, quid mirandum, aut supernaturale est, quod eadem subsistentia naturæ diuinæ, & naturæ creatæ non per identitatem, sed, quod minus est, per vnionem denuo productam sit facta commu-
nis? Quartò tandem: postquam est producta natura humana in primo homine, cùm sit eadem, & non diuersa in omnibus, in nullo alio produceretur, aliàs idem quid secundo produceretur naturaliter, ac citra miraculum, sed supposita eius productione, per solam productionem singularitatum eis commu-
nicetur, ac proinde Petrus, verbi gratia, impro-
ducta eius humanitate existeret, ac produceretur: iam ergo generatio æterna Verbi, qua Deus de Deo procedit absque eo, quod eius Deitas, & natura pro-
ducatur, ineffabilis, & supernaturalis non erit: adeo-
que ex vano dictum est ab Isaia, *Generationem eius quis enarrabit?*

62 Alij Scotistarum in humanitate Petri, verbi gratia, duplicem vnitatem veram, & omni operatione intel-
lectus anteriorem distinguunt, nempe formalem, & numeralem: illam minorem, qua cum quauis alia humanitate formaliter, & ex natura rei est eadem; hanc maiorem, qua à quauis alia realiter distincta est, & soli sibi met eadem: quare iuxta hanc senten-
tiam in omnibus hominibus diuersa realiter, & nu-
mericè naturæ humanæ sunt beneficio singularita-
tum, quæ non tantum se, sed etiam naturas contra-
ctas numericè, & realiter distinguunt, & intimè mul-
tiplicant: cæterum omnes pro priori ad singularitates sunt formaliter vna, & eadem natura humana, siue humanitas.

63 Hi etiam Scoti affectu duplicent. Primò, quia vni-
tas illa formalis summa esset, sicut distinctio forma-
lis nequit non esse summa, ut satis probatum manet supra: eo autem ipso, quod vnititas illa formalis natu-
ræ humanæ, ut sic summa esse debeat, non poterit hæc opinio in quorundam Platoniorum magis, quam Platonis recidere sententiam, vel potius amen-
tiam. Deinde, quia humanitas Petri, & humanitas Pauli formaliter, siue ex natura rei distinguuntur: haud igitur vtræque est vna formaliter. Consequentia est in aperto. Probatum antecedens, tum, quia vnititas formalis, siue ex natura rei est passio naturæ quemad-
modum numeralis, siue singularis est passio singula-
ritatis: sicut ergo singularitas Petri, & singularitas Pauli vnum, & vnum realiter, ac numericè consti-
tuunt, distinctæque realiter euadunt; ita similiter hu-
manitas Petri, & humanitas Pauli vnum, & vnum ex natura rei constituent, ac per consequens distinctæ formaliter euadent: tum; quia singularitas Petri, v.g. eius humanitati vnitur, & non humanitati Pauli: ergo pro priori signo naturæ humanitates ambæ sunt hæc, & hæc, aliæque, & alia formaliter saltem; aliàs profecto hanc potius, quam illam differentia indi-
uidualis Petri respicere, & contrahere non posset: tum denique, quia pro priori signo naturæ ante con-
tractionem per singularitates altera natura separabi-
lis est ab altera, aliàs pro posteriori separatio fieri non posset: iam ergo ad minimum formaliter distin-
guuntur pro illo priori.

64 Tertiò nonnulli Scotistæ in Petro, v.g. duplicem humanitatem, aliam formalem, aliam numeralem distinguunt, illamque priorem omnino indiuiduam, & omnibus

omnibus indiuiduis communem, hanc autem posteriorem diuisam, & in diuersis indiuiduis aliam, atque aliam existimant. At in primis humanitas illa formalis incommoda omnia Platonice obiecta, vel certe similia perpetitur. Rursus humanitas numeralis, aut distinguitur ex natura rei à singularitate; & ita formalis superfluit; imo ambæ formales erunt: aut non distinguitur; & ita in illa omnia argumenta probantia distinctionem ex natura ratione diuersarum definitionum, ratione similitudinis, & dissimilitudinis instantur, ut intuenti constabit. Præterea: eadem simplex formalitas distinguitur numericè, & ex natura rei à diuersis extremis, ut cernere est in mea singularitate intuitu singularitatis Petri, & respectu graduum superiorum, quibus in me subiaceret: similiter ergo vna simplex formalitas poterit esse vna ex natura rei, & simul vna numericè: perperam ergo ratione duplicis illius vnitate distinguunt hi, quibus cum his, duplicem humanitatem, quarum altera sit vna formaliter, & altera numericè.

65 Videamus modò, quibus argumentis tueantur Scotista vnitatem, & identitatē formalem, siue ex natura rei, eamque veram, & propriam, ut semper supponitur, inter gradus superiores, & inferiores. Arguunt primo auctoritate Aristotelis lib. 4. metaph. cap. 2. ad eius finem, vbi sic ait: *Quod igitur entis, ut ens est, & eorum quæ illi, quia sit ens conueniunt ad vnā scientiam consideratio pertineat; quodque non substantiarum modo, sed eorum etiam, quæ illis insunt, eadem sit contemplatio; & eorum, inquam, quæ dicta sunt, & prioris, & posterioris, & generis, ac speciei, & totius, ac partis, & aliorum huiusmodi, apertum est.* Ecquid autem est genus, & speciem, siue vnitatem vtriusque propriam enti, quia ens est, siue prout ens est conuenire, quàm eiusdemodi vnitatem, siue identitatem dari à parte rei, & ante omnem intellectus operationem? admittenda ergo est iuxta Aristotelem vnitas aliqua, siue identitas minor numerali, adeoque formalis. Deinde lib. 5. metaph. cap. 6. sic habet Philosophus: *Homo, equus, canis vnū quiddam sunt, quia omnia sunt animalia.* Atqui sunt animalia ex parte rei, & ante omnem mentis considerationem: eo igitur in statu habent vnitatem aliquam: at non realem, & numericam: ergo formalem, atque minorem. Tandem lib. 5. metaph. capite 9. sic habet: *Per se ipsum est, identitatem vnitatem esse quandam ipsius esse, aut plurium.* Quarto autem, plurium, siue realiter distinctorum, quæ esse possit vnitas, siue identitas, nisi formalis, & ex natura rei, realique, ac numerica inferior?

66 Arguunt secundo: Petrus, verbi gratia, & Paulus à parte rei non sunt diuersæ speciei: sunt ergo à parte rei vnus, eiusdemque speciei: nam indiuisio est identitas, siue vnitas in illo genere, quo extrema denominat indiuisa: vnitas autem specifica vbi reperitur à parte rei, & ante mentis opus, nequit esse alia, quam, quæ à Scoto formalis, siue ex natura rei est appellata. Arguunt tertio, & præcedens confirmant argumentum: Petrus, v. g. & Paulus nihil habent à parte rei, quod opponatur vnitati, ac identitati specificæ siue formali: hanc igitur identitatem eo statu obtinent. Consequentia liquet: antecedens probatur: si tale quid à parte rei haberent, non possent etiam per intellectum fieri vnū, idemque specificè; sicut, quia Petrus, & Bucephalus, quoniam habent à parte rei diuersitatem, ac dissimilitudinem oppositam identitati specificæ, hanc ne beneficio intellectus consequi possunt.

67 Arguunt quarto: homo, ut sic eadem definitione definitur, ergo natura humana, quæ est eius obiectum

à parte rei, habet aliquam vnitatem, eamque veram, & propriam; alioqui quo pacto vni posset subesse definitioni: at non realem, & numericam, ut luce clarius: ergo formalem, & inferiorem. Quintò tandem argui potest: genus, & species dantur à parte rei: ergo & vnitas generica, & specifica: hæ autem vnitates, vbi dantur reipsa tenus, & non sint merè intellectuales, nequit vtrique non esse formalis, siue ex natura rei: hæc ergo est admittenda: Antecedens argumenti, vnde rite sequuntur cætera, suadetur hunc in modum: Genus, & species haud inuoluunt in suo conceptu essentiali actum intellectus, sed potiùs naturam intrinsecè, ac sponte sua vnā, & communem: alioqui neutrum eorum prædicabilem diceretur in quid de suis inferioribus: eis enim essentialiter, & quidditatiuè non conueniunt animal, verbi gratia, & homo, prout subsunt actui intellectus, & hunc respectum extrinsecum, & accidentarium important.

Ad primum horum respondeo, duo priora, quæ obicit Aristotelis testimonia hoc tantum probare, aliquam dari à parte rei identitatem, & vnitatem extremorum realiter distinctorum; at non formalem magis, quàm fundamentalem, nec propriam magis, quàm impropiam, & adumbratam, cum tamen de propria, & formali sit in præsens questio: quocirca abs te sunt, & ea, in quibus refellendis haud sit operapretium tempus infumere. Postremum autem Philosophi testimonium, cui alia non ab similia possunt, & solent congeri, nil aliud conuincit, quam plura, ac realiter distincta inuicem, posse esse nihilominus idem genere, & specie, atque vnitatem vniuersalem sortiri: an autem ex natura rei, vel negotiatione intellectus, hoc in medio relinquit Philosophus eo loci.

Ad secundum argumentum respondeo: Petrus, & Paulus à parte rei nec habent identitatem, nec diuersitatem specificam: quod nulli mirum accidat: namque à parte rei nulla datur species, sed ea, sicut, & genus, ac reliqua prædicabilia fiunt per operationem intellectus: haud ergo diuersitas, vel vnitas specifica à parte rei est admittenda, quemadmodum si à parte rei accidens nullum esset, nulla certè in eo statim inueniri posset conuenientia, nulla itidem differentia accidentalitatis. Porò quod in contrarium obicitur, vnitatem esse indiuisiōnem, adeoque Petrum, & Paulum, cum sint à parte rei indiuisi specificè, siue diuersitate specificæ destituti, non posse non esse in eo statu specificè vnus: hoc inquam difficultatem non facit: siquidem vnitas consistit in indiuisiōne, non præcisiua, sed negatiua: pro illo priori signo naturæ, quo ambo sumuntur à parte rei, ac secundum se, & ante omnem cognitionem nostram, eiusque carentiam tantum non sunt specificè diuersi per meram quandam præcisionem, solumque negant, & excludunt formaliter diuersitatem specificam pro posteriori signo naturæ, quo cognoscuntur ab intellectu, ut omnino similes, & quo datur carentia cuiuscumque cognitionis eorum dissimilatiua, ut sic dixerim: esse namque quiddam diuersæ speciei ab alio, non tantum fundamentaliter, sed etiam formaliter importat actum intellectus dissimilatiuum vtriusque, & quo alter representetur, ut homo, v. g. & alter, ut equus aliudve suppositum, non humanum: haud ergo potest excludi negatiuè diuersitas specifica, quoad vsque adueniat carentia talis actus, aliaque cognitio assimilians ei opposita: quam ob rem in summa Petrus, & Paulus à parte rei, & secundum se sumpti, nec sunt vnus, nec sunt diuersæ speciei; tantumque pro posteriori signo naturæ, quo nostro obuersantur intellectui

intellectui unitatem habent specificam, & contrariam diuersitatem formaliter reiciunt: quo pacto dici consuevit, voluntatem nostram, neque amare, neque odisse; haud quidem pro toto instanti reali, ac certe pro priori quodam naturæ signo.

70

Eidem argumento responderet P. Suarez disp. 6. metaph. sect. 2. n. 14. eo tantum concludi, naturam humanam à parte rei esse vnā formaliter, & specificè, ea tamen unitate, quæ non sit communis omnibus indiuiduis, atque in illis eadem, & immultiplicata, sicut contendunt Scotista, sed potius, quæ sit in quolibet singularis effectus, eiusque, & non alterius propria: quocirca vnitas illa dicitur formalis, & specificæ, non quod sit communis, & vniuersalis, sed quod cōsequatur rationem formalem, & specificam hominis, v. g. siue naturam humanam, cum tamen vnitas indiuidualis, à qua tantum ratione nostra distinguitur, gradum consequatur indiuidualem, vel, si mauis, sit ipsa indiuiduatio, & hæcetas. Caterum non satisfacit me iudice hæc solutio, siquidem iuxta eam natura humana Petri, v. g. tantum erit vna formaliter, ac specificè secum ipsa, & non cum natura Pauli, aut alterius hypostasis, alioqui illa vnitas non esset propria solius Petri, nec ab eius singularitate tantum ratione distincta: at argumentum, vel nihil concludit, vel certè, naturam humanam Petri esse vnā formaliter, ac specificè cum natura Pauli, namque Petrus cum eo debet esse vnus, & idem formaliter, ac specificè, à quo ita est indissolubilis, siue non diuersus, sed indiuisionem, siue non diuersitatem specificam, & formalem habet à parte rei respectu Pauli, & aliorum cum eis: ergo est vnus formaliter, ac specificè in ratione hominis.

71

Secundò, respondent Thomista apud P. Suarez ubi suprà disp. 6. metaph. sect. 1. num. 5. naturam humanam in Petro, & Paulo, quæ est vtriusque à parte rei indiuisionem specificam, & formalem, esse negatiuè vnā, non verò positiuè. Verum si quod eis est familiare, nomine unitatis positiuæ intelligant modum aliquem positiuum à nostris actibus in naturam Petri, & Pauli refluum, merito cuius in eandem speciem, & in idem vniuersale coalescunt, negatiuè verò, carentiam diuisionis omni actu nostro anteriorem, hallucinantur aperte: siquidem lib. 2. Dialect. cum sermo esset de eius obiecto formali, entia quæuis diminuta à nostris actibus in obiecta, quæ cognoscimus, reiectoria, satis superque reiecimus: deinde ubi vnitas vniuersalis, ac specificæ in modo consistat, cur non etiam illa alia anterior, beneficio cuius diuersitas, ac diuisionem opposita formaliter excluditur? sin autem intelligant nomine unitatis positiuæ eam, quæ prouenit à cognitione aliqua nostra confusa, & vniuersali, ratione cuius fiunt Petrus, & Paulus eiusdem speciei humanæ; nomine verò unitatis negatiuæ præcisionem, qua vtrique à parte rei, & secundum se sumptus præscindit à diuersitate specificæ, siue ab eo, quod obiaceant actibus eorum dissimilariis, quin pro priori illo naturæ signo, vel unitatem specificam habeant, vel etiam diuersitatem specificam proximè, & formaliter reiciant; ita quidem nostræ fauent solutioni, & doctrinam tradunt satis consentaneam ei, quæ tradita à nobis est in Dialectica lib. 8. tractatu 1. capite 2. ad eius finem.

72

At instabis nullo iure, tum ibi, tum in presenti adstrui à nobis unitatem quandam positiuam, cum omnis sit negatiua, ac definiatur ad Aristotelem, & ceteris Philosophis per indiuisionem, siue negationem diuisionis. Sed hæc calumnia facile potest depelli: nam vnitas omnis formaliter, & in se

sumpta est negatiua, & cum ipse intellectus confert obiecto suo unitatem vniuersalem, hæc vnitas est negatiua, quandoquidem eatenus Petrus, verbi gratia, & Paulus vi illius dicuntur vnus speciei humanæ, quatenus non diuersæ: ceterum hoc non vetat, quominus aliqua vnitas sit positiuæ, & alia negatiua, siue præcisiua penes vtriusque fundamentum, quippe quod modò potest esse aliquid positiuum naturæ, quæ dicitur vna, superadditum, modò vero nihil tale: quocirca vnitas specificæ, quam habet natura Petri, & Pauli pro posteriori rationis signo, quo nostro obuersantur intellectui, dicitur positiuæ, quia natura non fundat illam, nisi præsidio positiuæ cognitionis, qua representatur confusè, & indiscriminatim: vnitas verò negatiua, quam habet natura humana vtriusque, quia secundum se sumpta præscindit pro priori quodam rationis signo ab actibus quibuscumque, per quos diduci possit in varias species, dicitur negatiua, propterea quod natura humana nihil positiuum sibi superadditum postulet, merito cuius illam possit sortiri.

Ad tertium argumentum Respondeo: Petrus, & Paulus à parte rei, & secundum se sumpti nihil habent, quod unitati specificæ repugnet: hinc tamen non fit, eos esse vnus speciei pro priori illo naturæ signo, sed satis superque, si pro alio posteriori. Porro instatur argumentum, meo quidem iudicio manifestè in distinctione rationis: animalitas, & rationalitas nihil habent à parte rei, quod distinctione rationis repugnet, alias ne per intellectum ita distingui possent: an ergo à parte rei sunt ratione nostra distinctæ? an argumentum aduersariorum eisdem nervis in alia simili materia, propositum, & tamen omnino enervet, & inualidum: animalitas enim, & rationalitas à parte rei, nec sunt vnus ratione nostra, nec multiplex, sed in eo statu ab unitate, ac multiplicitate rationis præscindunt: pati ergo modo dicendum est, Petrum, & Paulum à parte rei, nec vnus esse, nec diuersæ speciei, sed in præsens ab vtraque denominatione præscindere, ac tantum vni fundamentum præbere, alteri verò illud negare. Rursus secundò, instatur argumentum vii superius: voluntas pro priori signo naturæ, quo est indifferens, & indeterminata, nihil habet repugnans amor, aliàs non posset pro posteriori signo amare: quis tamen ob id asserat, illam pro priori denominationem amantis sortiri, aut ante amorem amare? Quod si hæc propter asserant aduersarij, non petinde esse naturam humanam à parte rei sumi, atque eam usurpari pro priori aliquo signo naturæ ad cognitionem nostram, eiusque carentiam, ut supposuimus hæcenus; quin potius naturam humanam, prout est à parte rei, esse illam, ut non cognoscitur à nobis, & quatenus datur carentia cuiusvis representationis nostræ ad eam terminatæ, præterquam quod ineptè loquantur, ac terminis abutantur; certè eo, quem intendunt, sensu permissò, falsum est, Petrum, & Paulum nihil habere à parte rei oppositum unitati specificæ: habent enim carentiam cognitionis eius, qua possent in eandem coalescere speciem.

Ad quartum respondeo, ut Petrus, & Paulus, quatenus homines, vni subsint definitioni, non esse necessariam in eis à parte rei veram vllam, aut propriam unitatem formalem, sed satis esse fundamentalem, quæ magis sit similitudo, quam vnitas, namque in primis ut actus voluntatis noster sit formaliter bonus, & meritorius in ordine ad obiectum

C

etum

ctum extraneum, haud est necesse, haud etiam possibile, ut hoc sit formaliter bonum, & meritorium, sed satis est, ut fundamentaliter, siue ut loquuntur alij, radicaliter: similiter ergo, ut definitio hominis ut sic respectu, & merito illius sit una, non oportet, ut homo ut sic, & prout complectitur Petrum, & Paulum, ac ceteros homines sit à parte rei, & antea, quam obiciatur actui illi, per quem definitur, formaliter, & propriè vnus, sed satis superque, si fundamentaliter duntaxat: in super vnus, idemque actus intellectus nostri in plura, ut plura, ac ne fundamentaliter eadem, siue similia ferri potest, & solet, ut sæpè a nobis probatum: ut ergo definiamus vno actu obiectum aliquod, à fortiori sufficiet eius vnitas fundamentalis.

- 75 Ad vltimum respondeo, genus, & speciem non dari à parte rei, sed per intellectum, denominationemque quandam extrinsecam, & accidentariam ab eo profectam. Ceterum ambo prædicabilia nihilominus enunciarì de suis inferioribus in quid; utique penes id, quod inuoluunt pro materiali; cum tamen alia prædicabilia etiam pro materiali sumpta dicantur in quale quid, vel in quale tantum: atque hoc pacto solum debet intelligi particula in quid appolita in definitione generis, & speciei.

CAPUT VII.

Alius modus vnitatem formalem explicandi proponitur, & consutatur.

- 76 **A**lij recentiores vnitatem, siue identitatem formalem, ac specificam, vel genericam esse veram, propriamque vnitatem, identitatem, atque in rebus dari ante operationem omnem intellectus consent: diuersa tamen ratione, ac Scotistæ, ut commodius, tum decursu capitis, tum ad eius finem declarabitur. Arguunt autem primò: similitudo est vnitas, cum Aristoteles 5. metaphys. cap. 15. definiat similia esse, quorum qualitas est vna: sed Petrus, v. g. & Paulus sunt à parte rei propriè, & verè similes: ergo & vnum quid: cuiusmodi autem vnitas vera se tenens ex parte rei haud est numerica: ergo formalis, ac vel specifica, vel generica.

- 77 Arguunt secundo, ex Aristotele etiam: namque citato loco metaphysicæ distinguit triplicem relationem veram; ac realem; primamque, ac potissimam appellat identitatem in substantiæ vnitatem fundatam, alteram similitudinem qualitatibus vnitatem fultam, ac tertiam æqualitatem quantitatis vnitatem subnixam. ac identitas numerica haud est realis relatio, qui enim potest vnum numero, verbi gratia, Petrus, ad seipsum verè, ac realiter referri? admittenda ergo est à parte rei, & ante quodlibet mentis opus alia identitas minor, ac formalis, & vel specifica, vel generica, quæ scilicet sit relatio realis, atque inter duo versetur ut verbi gratia, identitas Petri, & Pauli in ratione hominis, aut hominis, & equi in ratione animalis.

- 78 Arguunt tertio: Petrus magis intensiue distinguitur realiter ab Angelo, quam à Paulo: Petrus ergo, & Paulus habent aliquam veram identitatis gradum à parte rei, quo carent Petrus, & Angelus: haud enim augeri potest distinctio, nisi per defectum identitatis: quare si magis distinguuntur Petrus, & Angelus, & minus Petrus, & Paulus, profectò hi plus aliquid verè identitatis, & illi minus habebunt, quod sequenti declaratur exem-

plo: namque hoc ipso, quod realis perfectio hominis, & Angeli sit quasi intensiue maior perfectione duorum hominum, & hæc minor, rectè sequitur, hominem, & Angelum carere vera aliqua imperfectione, qua non carent duo homines, & hos habere aliquam imperfectionem, quam non habent Angelus, & homo ex toto sumpti. Porro primum antecedens argumenti suadetur: ceteræ enim illius partes inter eas proponendum manent declaratæ: omnis distinctio prouenit à differentiis, & quantitas distinctionis metienda est per quantitatem differentiarum: unde generica differentia infert genericam distinctionem; essentialis, essentialem; specifica, specificam; numerica, numericam; realis, realem; rationis, rationis, nulla, nullam: fierique nequit, ut quod plus aliqua differunt, hoc ipso non plus distinguantur, alias non plus distingueretur Deus à formica, quam vna formica ab alia, ut infiniè plus differat à formica, quam vna formica ab alia; vltimique, quod consequens est, omnium rerum distinctio realis foret omnino æqualis, & numerica, quo nihil absurdius.

Hæc sententia mihi magnopere displicet. Primò, quia solis vocibus ludit, & solum demum similitudinem à parte rei admittit, quam omnes admittimus, atque hanc solum iam formalem, iam specificam, aut genericam vnitatem appellat. Rursus, quia vocibus valde abutitur, & omnino immeritò similitudinem Petri, & Pauli, aut vtriusque, & equi, aut lapidis, & omnium, cum Deo vnitatem veram, propriamque, ac realem vocat: nam hoc, si verum sit, lapis erit verè, ac realiter idem cum Deo, & propositio, quæ id asseratur absque vlla distinctione, vel moderatione concedi poterit, ac debet: interest enim iuxta hanc sententiam veram, ac propriam, & realis identitas inter Deum, & lapidem, tamen non individualis, sed generica, & formalis, & non absoluta, sed relativa sit: hoc autem sufficit ad veritatem eius propositionis sine addito prolata: hæc siquidem propositio, *lapis est ens*, sine vilo additamento, & absque vlla distinctione est vera, quia re vera, & propria lapis est ens, tamen infiniè minus sit ens, quam Deus: ergo & hæc propositio, *lapis est idem cum Deo* absque vlla distinctione, aut adiectione tanquam vera concedi poterit hoc ipso, quod vera inter vtramque identitas intercedat, quantumlibet ea sit valde minor numerali, siue individuali. Porro hanc propositionem: *lapis est idem cum Deo*, aut hanc, quæ perinde est: *Peccator est idem cum Deo*, vel istam: *Iudas est idem cum Deo*, aliaue similes absque vlla distinctione posse tanquam veras admitti meo iudicio omnino est absolum piis auribus.

Deinde iuxta illam sententiam hæc propositio, *Iudas est Deus*, vera esset in aliquo saltem proprio sensu: ut enim propositio affirmatiua proprio in sensu vera sit, satis est, ut subiectum propriè, ac verè identificetur cum prædicato: atqui iuxta eam sententiam Iudas est idem verè, ac propriè, & realiter cum Deo identitate utique formali, & genericæ: ergo, &c. Vltèrius æqualitas consistit in indiuisibili, nec possunt duo palmi, v. g. totaliter esse æquales, & non esse summè æquales: similiter & similitudo, ut demonstrandum est tractatu sequenti ex professo inter probandam distinctionem virtutalem intrinsecam in rebus creatis: ergo & identitas stat in indiuisibili, quin fieri possit, ut inter duo verè, ac totaliter eadem non sit summa identitas: at iuxta hanc opinionem identitas non esset in indiuisibili sita: duo enim totaliter, & penes omnes suas formalitates eadem, nimirum hominem, & equum, non tamen summè eadem consent, sed minus eadem, quam hominem, & hominem, aut vnum numero hominem secum ipso comparatum.

Hactenus.

81

Haecenus impugnauimus absolute istam vnitatem, & identitatem relatiuam, & nihilominus veram, ac propriam, & realem: iam animus est eam impugnare ad homines: meminerint ergo recentiores hi, quibuscum quaestio, se non admittere distinctionem vllam virtualem intrinsecam, nedum ex natura rei, siue formalem in rebus creatis: qua in re eos valde inconsequenter se gerere luce clariùs ostendo: Primò namque plura inter se numericè distincta, habent tamen iuxta hos auctores à parte rei vnitatem, & identitatem veram, ac propriam, tamen si minorem vnitatem numericam: quidni ergo animalitas, verbi gratia, & rationalitas, & si sint vnum, idemque numericè, hoc non obstante distinctionem fortiantur à parte rei veram, propriamque, licet minorem distinctione numericam? Equidem manifestum est, quantum distinctio excludit vnitatem, tantumdem vnitatem excludere distinctionem: cum ergo distinctio numerica non excludat omnem à parte rei veram, propriamque vnitatem, sed solam numericam, sanè è conuerso vnitatis, & identitatis numerica, cuiusmodi est animalitatis, & rationalitatis, non reiciet omnem à parte rei distinctionem inter eas formalitates, sed solam numericam, adeoque formalem, siue ex natura rei inter eas admittet: aut paulò aliter: distinctio numerica Petri, verbi gratia, & Pauli, aut quod longè plus est, Dei, & lapidis, eorum tamen vnitatem veram, & propriam, ac formalem à parte rei non reicit: à fortiori ergo vnitatis numerica, & realis animalitatis, ac rationalitatis earum distinctionem, non propriam, sed impropriam, non veram, sed metaphoricam, non formalem, sed virtualem admittit.

82

Non melater hos, quibuscum disputo, adstruere gradus quosdam in distinctione, haud secus ac in identitate, & sicut hanc, aliam maiorem, aliam minorem, & numericam aliam, aliam formalem ponunt, ita etiam eos statuere distinctionem aliam maiorem, quam nimirum Petrus ab equo lapide, Angelo, Deo distinguatur, & aliam multò, multoque minorem, quo quidem ab alio homine, verbi gratia, Paulo sit distinctus, quocirca necessum non esse, vt animalitas, verbi gratia, sit virtualiter, aut ex natura rei distincta à rationalitate ad hoc, vt quemadmodum in identitate, sit etiam in distinctione sit inaequalitas, & latitudo. Cæterum hæc latebra, ad quam haud dubiè confugituri sunt, eos potest parum tutos, securosque præstare: nam præter id, quòd tales gradus, quos in distinctione statuunt commentitij sint, & à nobis illico demolendi, omnino abs re sunt: omnis enim distinctio vera iuxta aduersarios est realis, & numerica, & hac nulla minor est, quantulumcumque sit, esto ea plures sint maiores, illæ nimirum, quæ duas res, non tantum numero, sed insuper specie, aut genere, aut plus, quam genere distinguunt, ac fecerunt. Hoc autem cum eorum de identitate doctrina nulla ratione coheret, imò multum ab ea deficit, & aberrat: etenim iuxta eos datur identitas aliqua à parte rei, eaque vera, & propria, quæ tamen non realis, & numerica sit, sed ea minor, qualis, v. g. est inter Petrum, & Paulum in ratione hominis, aut vtrumque, & lapidem, Deumve in ratione substantiæ: & tamen secundum eos non datur distinctio aliqua à parte rei vera, & propria, quæ non sit numerica, & realis, quæve sit infra illam: quin potius omnis distinctio vera de eorum sententia est numerica, & realis, licet non semper numerica præcisè, sed vltèrius haud rarò specifica, aut generica: parum ergo coherentè de identitate, ac distinctione philosophantur.

83

Quod præterea aduersus eos non nihil aliter virgeo: R. P. Richardi Lyncei, *Philosoph. Tom. III.*

siquidem Petrus, v. g. & Paulus, quantumlibet habeant veram, ac strictam identitatem à parte rei de eorum opinione, quibuscum cernimus, nihilominus ambo à parte rei suscipiunt prædicata contradictoria: cur ergo animalitas, & rationalitas Petri, quantumlibet sine idem quidpiam à parte rei, non subeant etiam prædicata contradictoria, quidquid sit, an aptitudo ad illa sit referenda in distinctionem ex natura rei, an ad solam virtualem intrinsecam? Nec aduersarios subleuat, animalitatem, & rationalitatem numericè esse idem quid, cum tamen Petrus, & Paulus non numericè, sed specificè sint idem: nam hinc fit, Petrum & Paulum propter magnam, ac numericam eorum distinctionem cum sola identitate specifica, & parua coniunctam fortiri prædicata contradictoria summè dissita, cuiusmodi sunt separari realiter vnum ab alio, & produci realiter alterum ab altero, vnumque esse extrinsecum alteri, cum tamen animalitas, & rationalitas propter magnam, ac numericam identitatem, siue vnitatem cum sola distinctione exigua, virtuali nimirum, seu formali copulatam recipiant prædicata contradictoria, non summè dissita, & nuper memorata, sed minus quodammodo dissita, qualia sunt cognosci, & non cognosci, vñiri, & non vñiri, &c. aut nequiquam dehinc fit Petrum, & Paulum aliqua prædicata contradictoria, animalitatem verò, & rationalitatem nulla subire: cur enim illi, esto verè, & propriè sint idem à parte rei eo genere identitatis, quod maius est, aliqua, imò multa suscipiant, hæ verò non suscipiant etiam aliqua, saltem pauciora, quando verè, & propriè sunt idem à parte rei, eo quidem genere identitatis, quod minus quidem, ac strictum, & non improprium, aut metaphoricum est, præsertim cum omnia contra hoc posterius aduersariorum argumenta in illo priori manifestè, infringantur.

Sequitur, vt contrariis respondeamus argumentis. Ad primum dicendum est, Aristotelem, cum asseruit, similia esse, quorum qualitas est vna, sermonem habuisse, non de vnitatis propria, sed de impropria, & fundamentali: aut, quod perinde ferè est, de vnitatis formali extrinseca, & solius rationis, non tamen actus, sed aptitudine: quasi diceret Aristoteles, ea similia esse, quorum qualitas per intellectum vna, eademque fieri potest: atque ita Philosophum interpretatur præter alios non paucos Hurtadus disp. 15. metaph. sect. 10. subsect. 2. §. 98.

Confirmatur, & declaratur solutio: cum dixit Aristoteles, similia esse, quorum qualitas est vna, & equalia, quorum quantitas est vna; & eadem, quorum substantia est vna, non de qualitate physica, sed de transcendentali, qualis reperiri potest in Deo ipso, nec de quantitate, aut substantia physica, ac prædicamentali, sed potius transcendentali intelligendus est, videlicet, quia in personis diuinis locum habent similitudo, & equalitas, & identitas natura tenus, nec non etiam in accidentibus quibusuis inuicem comparatis. At iuxta plerosque aduersarios substantia, quantitas, qualitas transcendentales tantum, rationem substantiæ, quantitatis, & qualitatis propriè non obtinent, sed metaphoricè duntaxat: pari ergo ratione, non de vnitatis propriè sumpta interpretandus est Aristoteles, cum similitudinem, & equalitatem, & identitatem per vnitatem definit: aut certè, si de vnitatis propria, non de physica, & intrinseca, sed de Metaphysica, & extrinseca, quæ actum intellectus confusum propriè vnum, eiusque obiectum impropriè vnum denominat, de vnitatis, inquam, extrinseca, non tam actuali, quam ad actum potente reduci, vt supra præstrictum.

Ad secundum respondeo, identitatem quidem

84

85

86

esse relationem realem extremorum eorundem, ut docet Arist. loco nobis obiecto, & cum eo B. Thom. 1. p. quaestione 28. articulo primo, Caietanus ibidem, Soncinas 5. metaphys. quaestione 35. Capreolus in 1. distinctione 30. quaestione 1. ad 5. arg. Gregorij, Item Alensis 5. metaphys. textu 15. & Rubius in Logica capite 7. ad aliquid quaestione decima; ceterum non loquuntur de identitate propria: (eiusdem enim ad seipsum, qui potest esse relatio realis:) sed de identitate impropria, ac metaphorica, & quæ magis sit similitudo, quam identitas. Atque ita Aristotelem intelligunt, non solum laudati scholastici, sed plerique alij, præsertim vero Suarez disputatione sexta, metaphys. sectione secunda, numero decimoquarto, cuius ibi hæc notanda sunt verba: *Dicitur fortasse, in rebus, non solum reperiri eam unitatem formalem, qua unaquæque natura humana, verbi gratia, dicitur in se formaliter una, sed etiam reperiri unitatem, qua omnes nature humana dicuntur habere eandem rationem formalem, & consequenter formalem unitatem, ratione cuius eandem definitionem participant, & omnes homines a parte rei dicuntur esse eiusdem nature.* Sed contra, nam hæc reuera non est unitas, sed similitudo tantum, nihil enim verè unum, & in re indivisum est a parte rei in hac, & illa natura humana, sed solum in hac est aliquid, cui aliquid simile est in altera natura: hæc autem non est realis unitas, sed similitudo: unde solum possunt res plures dici a parte rei eiusdem nature, id est similis: hæc enim identitas cum dicatur esse inter res distinctas, non potest in re ipsa quippiam esse præter similitudinem.

87 Ad tertium argumentum respondeo, illud esse insignem æquiuocationem, qua dissimilitudo cum distinctione confunditur, cum tamen ingens sit inter eas discrimen: quocirca animaduertendum est, distinctionem bifariam sumi posse: Primum purè, & sincere, ac prout est distinctio tantum: Secundò mixtè, & quatenus dissimilitudinem aliquam, siue diuersitatem coniunctam habet: hoc statuto, assero, antecedens argumenti falsum esse, si de distinctione purè tali procedat, verum autem, si de ea mixtè sumpta intelligatur; Petrumque, verbi gratia, & Paulum non minus inter se distingui, quàm Petrum, & lapidem, aut Angelum, Deumve, si distinctio purè, & propriè sumatur; secus autem se rem habere, si distinctio cum dissimilitudine confundatur, vel potius coniungatur: quòd autem minus distinguantur hoc posteriori sensu, aduersariis neutiquam prodest; quando tantum probat, Petrum, & Paulum meritò minoris dissimilitudinis habere aliquam similitudinem a parte rei, qua Petrus, & lapis, aliæ substantia carent, non verò identitatem, aut unitatem ullam: quòd verò prius illud eis tantum fauens, si verum esset, à vero procul aberreret, haud est difficile probatu.

88 Primum, namque identitas consistit in indivisibili, nec una veluti intensiue potest esse maior alia, ut paulò supra insinuat, & infra fortasse latius est probandum: haud ergo distinctio potest non esse in indivisibili sita, ac proinde cum Petrus, & Paulus, verbi gratia, se totis realiter, ac numericè distinguantur, alia maior distinctio excogitari nequit vsquam. Rursus, quidquid sit de identitate latissime fusa, profectò identitas numerica, & realis in indivisibili, vel aduersariorum confessione, sita est, eosque iuxta quæ idem numero, ac re ipsa sunt, summam identitatem, & qua maior esse nequit, fortiuntur: ergo etiam distinctio realis,

& numerica, si pura pura sit, & à dissimilitudine secreta, magis, ac minus non admittet. Item similitudo ipsa, aut dissimilitudo intensiue maior esse nequit, solumque extensiue crescit, quatenus nimirum vnus rei formalitates plures sunt similes, aut dissimiles, quàm alterius alteri rei, cum qua comparantur ambæ, ut suo loco demonstrandum: iam ergo distinctio, siue pura sit, siue etiam cum dissimilitudine copulata, nequit esse intensiue maior, pro eo, ac aduersarij confingunt.

Præterea, si qua de causa distinctio una esset maior a parte rei alia, maxime ob eam, qua contrarij adducuntur, quia nimirum omnis distinctio à differentiis provenit, differentia autem, siue dissimilitudo rerum in puncto, & indivisibili non stat, sed maius, ac minus admittit: hæc autem ratio, nullius est momenti: Primum, quia dissimilitudo, ac differentia in indivisibili consistit, & intensiue loquendo maius, aut minus non capit, ut sæpius dictum: si ergo distinctio, ad differentiam, ac dissimilitudinis leges exigenda est, potius in indivisibili, quàm diuisibili sita esse, credenda. Secundò, quia, quod distinctio quodammodo à differentia, ac dissimilitudine oriatur, tantum probat, distinctionem mixtè sumptam suscipere maius, & minus, non autem sincere, ac purè acceptam, prout est de ea quaestio in præsentiarum. Tertiò, quoniam proprius fides est, distinctionem non proficisci à differentiis, aut dissimilitudinibus rerum: Petrus enim, & Paulus non sat propriè differunt, nec dissimiles sunt, sed potius omnino similes; & tamen realiter distinguuntur: homo etiam penes aliquas formalitates non est dissimilis equo; & tamen penes illas, & quas cumque ab eo distinguitur realiter: aliqua ergo distinctio est sine differentia, aut dissimilitudine, atque adeo hæc neutiquam illius radix.

90 Hinc ad id, quod est ultimum in probatione illius primi antecedentis, quod est veluti basis totius argumenti, patet: nam, si de distinctione reali pura sermo sit, ea res inter omnes, & quasvis æqualis est: quod, si de ea, prout cum dissimilitudine mixta est, loquamur, haud dubiè maius, & minus suscipit, sicut dissimilitudo, nimirum extensiue, & non intensiue; atque in hoc sensu, quo de utriusque nulla est controuersia, distinctio generica est maior, quàm specifica, & hæc, quàm individualis: illud etiam adicio, tamen distinctio realis, non prout talis præcisè, sed prout concreta cum dissimilitudine susciperet magis, & minus etiam intensiue, hoc parum, aut nihil profuturum aduersariis, quibuscum videlicet, non de dissimilitudine, sed de distinctione mera disceptamus.

91 Ex dictis constat, hos auctores in defendenda unitate formali, ac, vel specifica, vel generica non parum à Scotistis diffidere: sectatores enim Scoti, pro eo ac visum est, ut unitatem formalem, & ex natura rei extremorum realiter distinctorum, sic etiam distinctionem ex natura rei graduum realiter eorundem tuerentur. Deinde unitatem formalem non confundunt, cum similitudine, sed potius similitudinem, aiunt esse quandam relationem realem, cuius radix, ac veluti fundamentum est, tum distinctio realis extremorum, tum etiam eorum vera unitas formalis penes aliquam rationem superiorem, & communem. Contra verò hi, quibuscum hoc cap. disputauimus, unitatem formalem adstruunt, formali distinctione reiecta, eamque à similitudine nequaquam distinguunt: quod tamen minus consequenter quàm Scotistæ, decursu capitis ostensum est.